De

Ammiani Marcellini

usu orationis obliquae


scripsit

Antonius Reiter.

PROGRAMMA

GYMNASII AMBERGENSIS.

MDCCCLXXXVII.



Ambergae.

Typos curavit J. Habbel.



Omnium qui posteriorum imperatorum Romanorum aetate fuerunt historicorum longe praestantissimum esse Ammianum Marcellinum hominum litterarum Latinarum peritorum nemo est qui neget, primum quod huius scriptoris summa fides ac veritas iudiciique integritas in eius qui supersunt libris cernitur, deinde quod laudabili ille ducebatur studio res enarrandi ad exemplar optimorum prioris temporis rerum scriptorum, imprimis Taciti — eius ut dicendi genus imitaretur iam ea re videtur esse adductus quod eius historias continuare sibi proposuerat — etiamsi tali labori vires ingeniumque eius paria non erant (cf. H. Michael, die verlorenen Bücher des Amm. Marcellinus, Breslau 1880, praef.). Accedit quod nonnullarum rerum gestarum unus auctor est, alias accuratius et copiosius enarravit quam ceteri quorum libri extant scriptores, cum vel ipse rebus interesset vel ex pluribus et uberioribus fontibus rerum hauriret cognitionem. Quae cum ita sint, valde dolemus priores XIII libros deperisse idque maxime, quia veri simillimum factum est illa Michaeli dissertatione non cursim enarratas fuisse tredecim illis libris res ab excessu Domitiani usque ad a. 353 gestas (qui hanc sententiam secuti sunt homines docti a Michaelo enumerati sunt in primae paginae annotatione), sed horum temporum historiam pariter fuse et copiose conscriptam fuisse atque eos qui reliqui sunt libros. Cum igitur hi magno momento sint ad res gestas illorum temporum cognoscendas, non miramur in studiis Ammianeis, postquam aliquamdiu neglecta iacuere, maiorem curam rursus hac aetate ab hominibus doctis adhiberi.

Postquam enim prioribus editionibus Sabini, Castelli (Mommsen, Herm. VI pag. 236), Erasmi parum allatum est ad restituenda Ammiani verba, duabus editionibus a. 1533 a Gelenio ex fide codicis Hersfeldensis et ab Accursio secundum cod. Vaticani apo-

graphum factis illis quidem libri magno mendorum numero purgati et quinque libris ultimis aucti sunt, attamen magna lectionum varietas remansit; Lindenbrogii deinde, Valesiorum, Gronovii studiorum fructus initio huius saeculi Wagnerus in editione sua collegit. Iterum autem efflorescentibus studiis Ammianeis de emendandis et explicandis verbis optime meruerunt M. Haupt, A. Kiessling, Th. Mommsen, R. Unger, A. de Gutschmid, V. Gardthausen, Fr. Eyssenhardt (cf. Gardthausen, Herm. VI, 243 sqq.; deinde praef. editionis eius, XXIII; idem, Götting. gelehrte Anz. 1871, 1501—10; Kiessling, Fleckeis. Jahrbb. 1871, 481). Aliorum hominum doctorum, a quibus singuli loci emendati sunt, nomina enumerare longum est. Paucorum eorumque memoratu dignissimorum dissertationes exhibuit Gardthausen in ed. suae praef. pag. XXV sq.

De codicum ratione et auctoritate paucissima sufficiat protulisse (Copiosius de hac re Gardthausen egit in editionis suae, quam equidem sequar, praefatione pag. XI sqq., in Fleckeis. ann. 1871 pag. 829—54, in Herm. VI pag. 243—247). Usque ad a. 1876 omnium codd. praestantissimus habebatur Fuldensis s. Vaticanus. Eum et Hersfeldensem, qui ad id tempus e Geleniana editione sola cognosci poterat, ex eodem fonte manasse censuerunt Eyssenhardt et Gardthausen. Cum autem paulo post Gardthauseni editionem in lucem proditam singulari fortunae beneficio sex folia inventa essent, quae — nunc in bibliotheca archivi Marburgensis servata — olim codicis Hersfeldensis fuisse Nissenus contendit (fragmenta Marburgensia, Berolini 1876, pag. 14 sq.), probavit idem vir doctissimus c. Vaticanum de Hersfeldensi descriptum esse (l. c. pag. 18 sqq.), id quod M. Haupt iam antea suspicatus (ind. lect. Berol. aest. 1868 pag. 6) quodque Mommsen (Herm. VI pag. 232) ei assensus erat. Itaque ei qui novam editionem curabit, alia ratio ac via insistenda erit, quam universam Nissen l. c. pag. 24—29 descripsit et definivit. — Quae ut de editionibus et codicibus praemitterem ea re adductus sum, quod ad ea explicandorum aliquot locorum dubiorum causa mihi regrediendum erit.

Artem autem criticam in multis partibus iuvari iis studiis apparet, quibus dicendi ratio et syntaxis scriptoris perquiritur et exploratur. Haec studia in ipsis Ammiani libris ideo magni ponderis sunt, quod non solum in universum priorum rerum scriptorum


rationem enarrandi studuit imitari, sed etiam ex iis atque poëtis, velut e Vergilio multas figuras et verba, immo totas sententias excerpsit, sive ut eruditionem ostentaret sive inscitiam suam Latine scribendi, si suam elocutionem verbis exornasset mutuatis ex iis scriptoribus, qui aurea s. argentea, quae vocatur, latinitate utebantur, minus cognitum iri sperabat. Tales locos, qui faciles erant agnitu, iam Valesii, Lindenbrogius, Gronovius, Wagnerus animadverterunt, artificiose autem reconditos esse nostra demum aetate indagaverunt e Sallustio et Gellio sumptos M. Hertzius (de Amm. Marc. studiis Sallustianis, ind. scholl. Vratislav. 1874, de A. Gellio et Amm. Marcellino, Herm. VIII, 1874), e Tacito Ed. Wölfflinus eiusque hortatu Gerberus (Philologus XXIX, 558 sq.), e Cicerone H. Michaelus (de Amm. Marc. studiis Ciceronianis, diss. inaug. Vratislav. 1874). Praeterea etiam alios scriptores exscriptos esse constat.


Sed quamquam permulta verba ex aliis scriptoribus sumpta esse apparet, tamen elocutionem Ammiani propriam esse nemo adhuc negavit. Quod et Hertzius concedit l. c. pag. 265 et Hassensteinus (de syntaxi Ammiani Marcellini, diss. inaug., Regimonti 1877) recte dicit his verbis (pag. 2): „Ex omnibus illis locis, quos a Cicerone Gellio Sallustio Tacito sumptos esse demonstraverunt Hertzius cet., ne unus quidem habet proprietatem syntacticam ab reliqua Ammiani elocutione alienam," et paulo infra: „etiamsi *verba* ab alio auctore petita sunt, *structura* ipsa Ammiani est propria". Atque illud, quod in universum ac leviter iudicanti videri potest, Ammianum syntaxis certa ratione omnino caruisse, falso putari, cum prioribus dissertationibus probatum est tum hac commentatione firmari velim.

Egit enim de syntaxi Ammianea primus *H. Kallenbergus* (quaest. gramm. Ammianeae, Halae 1868) et quidem usum infinitivi et particulae *„quod"* accuratius illustravit. Singularem usurpationem gerundivi loco participii futuri passivi *P. Langenus* (Philol. XXIX, 482 sqq.) observavit collectisque exemplis explicavit. Totam syntaxis materiam octo annis post *Hassensteinus* amplexus est, sed cum alias partes magis attigit quam inquisivit tum de modorum usu, cum eum brevissime (l. c. pag. 37—46) absolveret, non satis accurate disseruit. Postero anno *Dederichsius* libelli sui (quaest. Ammianeae grammaticae et criticae, diss. inaug., Monasterii 1878) prima parte sententias condicionales, altera sin-

gularem modorum usum coniunctiones sequentium explicavit, tertia quaestiones criticas annexit. Item separatim de alia syntaxis parte novissimo tempore *G. Reinhardtus* scripsit, de praepositionum usu (diss. inaug., Cothenis Anhaltinorum, 1886). Qua in re tractanda copiosissime accuratissimeque vim praepositionis *per* exposuit, brevius ceteras praepositiones perstrinxit. Recte is quoque censet (Praef. pag. 6 sq.), id quod C. F. Muellerus docuit (Fleckeis. Jahrbb. 107, pag. 364). Ammianum „declinare et coniugare" haud ignorasse, longius scilicet recessisse a bona latinitate, quam optimi scriptores argenteae quae dicitur litterarum aetatis. Eodem fere tempore altera, qua Ammiani syntaxis tractatur, dissertatio foras data est: *H. Ehrismanni,* de temporum et modorum usu Ammianeo, Argentorati, 1886. Quae cum summa diligentia et accuratione conscripta sit, nonnullas res miras nos docet, e quibus complura quae huc pertinent suo quidque loco afferam (v. etiam quae Opitz exhibuit in libelli censura, Archiv für lat. Lexikographie und Grammatik, herausgeg. v. Wölfflin, III, 581). Nam quin or. obliqua ab eo attingeretur fieri non poterat; sed cum temporum modorumque usus o. rectae et obliquae promiscue tractaretur, multae autem aliae leges in hac observandae sint, separatim visum est explorare, quoad Ammiani usus cum priore congruat quantumque ab eo abhorreat. De stilo Ammiani Kallenbergiani illius libelli prima pars dignissima est quae inspiciatur.

Ad id ipsum igitur quod mihi proposui adgredior.





Quam late pateat nomen orationis obliquae.

dmodum diversae sunt sententiae a viris rei grammaticae peritis de orationis obliquae circumscriptione prolatae. Cum alii, ut exponit G. Anderssonius[1]) pag. 11 ann. 2, ad eam referant sententias et ex dicendi et ex sentiendi verbis suspensas ei simul subicientes omnem alienae cogitationis vel *suae,* quam *quis* priore tempore se habuisse dicit — sit exemplo sententia: metuebam, ne ipse omnibus rebus indigerem, postquam in iuvandis aliis hominibus meam rem familiarem collocavissem — notationem grammaticam, nullo praecedente aut expresso aut facile intellecto verbo dicendi vel sentiendi, atque adeo, ut Reisigius[2]) (§ 328 pag. 489 sqq.) interrogationes quas dicunt indirectas nomine o. o. comprehendant: „alii eas solas sententias ei adnumerant, quae ex verbo dicendi pendent, voce vel scripto forma non primitiva expressas“, Anderss. l. c. In hac, quae angustius valeat, o. obliquae definitione omitti solent etiam ea, quae ex ipso verbo dicendi apta sunt, enuntiata.

In tanta sententiarum diversitate statuebam in hoc libello ita circumscribere atque definire orationis obliquae vim, ut segregatis omnibus interrogationibus indirectis q. d. hac contineantur ea enuntiata, quibus aliena profert scriptor vel dicta vel iussa vel iudicia et cogitationes ita tamen, ut, quae pendent ex ipsis verbis *sentiendi,* nisi his aliae sententiae adiunctae sint, omittantur, ex *dicendi* verbis pendentia enuntiata, cum propriae sint or. obliquae omnia tractentur.

---

1) G. Andersson, de obliqua oratione Latinorum commentatio, Lundae 1846.

2) K. Reisig's Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, mit den Anmerkungen von Fr. Haase. Neu bearbeitet von Hagen, Schmalz und Landgraf, Berlin 1881/87.

Hanc mediam inter diversas viam eligendam putabam primum quod propriae, ut ita dicam, et continuatae or. obliquae tam pauca exempla in Ammiani libris reperiantur, ut qui sit Ammianeus usus temporum et modorum quantumque descenderit in struendo toto hoc genere narrandi a more priorum scriptorum non satis cognosci possit; maior igitur locorum copia, cum et latius et angustius patentis orationis obliquae eadem sit constructio, ex illa peti opus est, ut res explicetur et muniatur; deinde quod in sententiis ab hac commentatione seiunctis haud multa extant, quae discrepent aut a priorum scriptorum elocutione aut ab ea ratione dicendi, quam Ammianum in o. o. a me definita secutum esse hac demonstrabimus dissertatione.

Quod attinet ad interrogationes q. d. indirectas, hoc unum ne hic quidem praetereundum videtur, saepe indicativum modum inveniri, id quod ante Livium non nisi apud comicos, apud Livium ipsum bis animadverti Kuehnastius [1]) demonstrat, posteriore autem tempore perraro fieri Haasius [2]) contendit in adnotationibus ad Reisigium factis. Exemplis sint

XXVII, 5, 1: est missus cogniturus aperte, quam ob causam gens amica Romanis . . . . . armorum *dederat* adminicula bellum principibus legitimis inferenti.

XXXI, 2, 10: nullusque . . . respondere, unde *oritur,* potest

XXVIII, 6, 9: verbis, quae perpessi *sunt,* ostenderunt.

Contra:

XXVIII, 6, 16: Jovinum mittunt (cives) atque Pancratium . . . . quae ipsi *perpessi sint,* docturos.

Plura exempla collegit Hassensteinus l. c. p. 38. De Ammiani modorum usu in indirectis interrogationibus breviter Kallenbergus quoque egit l. c. pag. 17. Sed quod refert: „si rem accuratius intuemur, maxima pars coniunctivorum tempus praeteritum sequitur, cum tempore praesenti antecedente saepius indicativus adhibitus sit" falso contendi Ehrismannus l. c. pag. 65 sq. efficere exemplisque allatis probare studet hoc, quod ipse observaverit: „indicativus non minus saepe tempus praeteritum quam praesens sequitur. Itaque si praeteritum tempus in enuntiatione primaria exstat, coniunctivus in enuntiatione interrog. plerumque collocatur, sed indicativus locum

1) L. Kühnast, die Hauptpunkte der Livianischen Syntax, Berlin 1872, pag. 234.
2) Fr. Haase, K. Reisig's Vorlesungen u. s. w., adn. 504, pag. 493 sqq.

habere potest, sive tempus praesens sive praeteritum usurpatur in sententia primaria." At meo arbitrio Kallenbergi illud praeceptum Ehrismanni observationi, ni fallor, minime repugnat; non enim dicit Kallenbergus indicativum saepius sequi praesens quam praeteritum, sed indicativum saepius praesens sequi quam coniunctivum.[1]) — De tota autem re cum Schmalzius[2]) sic censeat: „Mir scheint es sicher, dass bei Cornificius, bei Varro, Cicero cet. der Indicativ der Überlieferung vielfach zu halten ist u. s. w." hac consuetudine Ammianum non repugnasse legibus grammaticis, sed rem, quae iam erat, adscivisse apparet et amplificasse.

De orationum rectarum et obliquarum usu.

Rectae orationis forma Ammianus semper utitur primum in referendis imperatorum contionibus, quibus hi vel filios commendant Caesarum dignitate induendos (XV, 8, 5; XXVII, 6, 6) et fratrem (XXVI, 2, 6), vel milites tumultuantes sedant, pugnaturos adhortantur, de initis consiliis docent (XIV, 10, 11; 7, 13. XVI, 12, 9; 12, 30—41. XVII, 13, 26. XX, 4, 16; 5, 3. XXI, 5, 2; 13, 10. XXIII, 5, 16. XXIV, 3, 4. XXVI, 7, 16). Magno cum studio recta orationis forma porro inducit Julianum, cuius plenus est admiratione et veneratione, loquentem (XVI, 5, 11; 5, 12. XXI, 2, 2. XXI, 5, 12. XX, 4, 9. XXII, 5, 4 et 5; saepissime) et scribentem (XX, 8, 5). Sine dubio scriptor in Juliani referendis sive longioribus contionibus sive brevibus dictis sive litteris recta forma ob eam rem utebatur, quod recte intellegebat naturam imperatoris virtutesque ut temperantiam, fortitudinem ac strenuitatem, prudentiam atque iustitiam maxime conspicuas fore, si ipsum qui legerent libros quasi oculis cernerent auribusque audirent loquentem. Maxime id valet de iis verbis, quae Ammianus hac quoque re Tacitum imitans iam moriturum imperatorem ad socios loquentem facit XXV, 3, 15—20. Quanta implemur admiratione animi magnitudinis, tranquillitatis, constantiae Juliani, cum iam vita excedentem ipsum tam praeclara audiamus pronuntiantem! Quanto minuisset scriptor vim verborum, si forma usus esset obliqua!

1) De temporibus in enunt. interr. obl. v. Ehrismann l. c. pag. 20 sq.

2) Schmalz im Handbuche der klassischen Altertumswissenschaft, Bd. II, Lateinische Syntax § 214, S. 316 f.

Eadem dicendi forma prodit litteras Saporis XVII, 5, 3, et Constanti XVII, 5, 10, ut vanam superbiam unius, dignitatem et fortitudinem alterius gloriamque nominis Romani significet. Denique recta dicendi forma etiam profert maximam partem locorum e Tullio Cicerone, Vergilio, aliis poëtis ac philosophis sumptorum, ne eorum minueret pondus, gravitatem, elegantiam. In referendis aliorum hominum vel dictis vel sententiis sine discrimine modo rectum modo obliquum dicendi genus praefert. Ne omnes rectas orationes singillatim enumerem, satis habebo memorasse, centum quattuor — brevissimis non exceptis — a me repertas esse.



De ipsa Ammiani oratione obliqua.

In conformanda o. o. tria omnino spectanda sunt:

I. Verbum, quod orationi inducendae inservit.

II. In ipsa oratione

A) Pronomen,

B) Verbum.

In tractandis his tribus partibus liceat mihi ea, quae a priorum scriptorum usu non abhorrent, breviter absolvere, in exponendis iis, quae propria sunt Ammiani, diutius commorari.

Pars I.

De verbis, quae orationi inducendae inserviunt.

n eam partem si comparaveris huius rerum scriptoris dictionem cum prioribus, multo maiorem quam in singulis illorum copiam invenies verborum; sunt enim

a) *sentiendi* et quidem

α) iam a prioribus scr. usurpata: arbitrari, reputare, contemplari, suspicari, ambigere, autumare; discere, cognoscere, comperire, accipere, audire; omina colligere, serpit fama, rumores differuntur, opinio est, responsum perferre; crimine implicari, mente colligere;

β) quae propriam Ammiani habent significationem vel usurpationem: librare, mentem dirigere, sedit opinio;

b) *dicendi* et ea

α) affirmare, confirmare, clamitare, exclamare, dicere, docere, loqui, replicare, adserere, dictitare, memorare (comm.) narrare, fateri (confiteri), proclamare, testari, contendere, scribere, rescribere, respondere, addere, adicere, praedicare, indicare, murmurare, referre, adseverare, significare, exponere, perhibere, strepere, obicere, extollere, vociferari, pronuntiare, nuntiare, causari, tumultuari, increpare, deferre, arguere, insimulare, incusare, prodere; ait, negare; monstrare (confessione), ostendere; tractare; occurrere;

β) firmare, mussare, mussitare, subserere, arcessere.

Ann. Loco dicendi verbi nonnunquam sententia brevis invenitur, ut: textum aperiunt, memoriam replicabat, perstrinxit suspicio, aliae, quibus verba sequentia plerumque particula quod adnectuntur;

c) *iurandi, minandi, promittendi:* iurare, deierare, minitari, spondere, promittere, polliceri: quae verba non rarius „quod" cum indicativo futuri coniunctum et infinitivus praesentis simplex (cf. Zumpt 605) sequuntur quam futuri infinitivus adposito vel omisso subiecti accusativo.

d) *orandi, monendi, imperandi,* et ea quidem

α) orare, petere, imprecari, precari, obsecrari, obtestari, poscere, exorare, supplicare; suadere, monere, hortari, animare, mandare, scribere, iubere, vetare;

β) ordinare, praecipere; impetere, quod verbum semel XXXI, 12, 14 invenitur et quidem cum vi postulandi.

Ann. 1. Eadem Ammiani licentia, quae cernitur ubique in structuris sequentibus verba orandi, monendi, imperandi, cum modo *ut* particulam adhibeat modo infinitivum, maxima animadvertitur in verbis: praecipere et iubere; sequuntur enim ea praeter usitatam illam infinitivi c. acc. vel c. nom. structuram infinitivus simplex atque etiam, id quod semel fit post „praecipere" verbum XXI, 6, 9, ter post „iubere" verbum (XXV, 8, 12; XXVI, 8, 5; XXVII, 11, 4), cum dativo personae casu coniunctus.[1])

Ann. 2. Deinde id proprium est Ammiani, quod saepissime non ex indicativo, sed e gerundio et participio praesentis, interdum perfecti verborum, quae modo enumeravi, pendentes facit orationes obliquas, ut ex „addendo, causando, memorando, replicando, cet., adserentes, firmantes, adfirmans, adsensus, confessus, cet.", item, quod iterantur saepissime verba dicendi, velut XXIII, 2, 4; XV, 5, 6.

Ann. 3. Denique quod dicit Andersson pag. 13 omnium verborum, quibus o. o. inducitur, usitatissimum esse aio, cum ne in Caesarem quidem conveniat, huius scriptoris usu non affirmari, non est, cur miremur. Extat enim id verbum a libro XIV usque ad XXIII ter decies tantum, porro nusquam.

[1]) cf. Kallenbergius l. c. pag. 31.



Pars II.

De pronominum usu in ipsa or. obl.

gendum mihi erit, ut totam hanc rem dilucidiorem faciam, de pronominibus indicantibus

A) personam eius, qui refert;
B) personam eius, cuius verba vel cogitata referuntur;
C) personam eius, ad quem oratio habetur;
D) personam eius, de quo agitur.

A.

De pronominibus eius, qui refert, personam exprimentibus.

Persona eius, qui res narrat, cum significari soleat pronomine ego et possessivis huic affinibus, haec in Ammiani libris nusquam inveniuntur, nisi quod interdum confundens suam scribentis personam cum eius persona, qui dicit vel de quo agitur, pronomina *nos* et *noster* inducit ita, ut sint loco vocis „Romani“ et „Romanus“. Loci sunt

XX, 4, 4: nec potuit silere - - verendum esse affirmans, ne voluntarii barbari militares, saepe sub eiusmodi legibus adsueti transire ad *nostra,* hoc cognito deinceps arcerentur.

XXIV, 8, 6: nonnulli Persas *nobis* viantibus incubuisse firmabant.

XXIV, 4, 29: index nuntiaverat - - subsedisse manum insidiatricem latenter, ut inproviso inde exorta agminis *nostri* terga feriret extrema.

Idem significat scriptor pronomine *noster* eius, ad quem oratio habetur, personam, ut

XVIII, 6, 16: docet - - speculatorem se missum ad *nostra* saepe veros nuntios reportasse.

XXX, 6, 2: firmabant (Quadorum legati): nihil ex communi mente procerum gentis delictum adseverantes in *nostros.*

Sufficiat ex 17 huius rei, quae iam in Caesaris (e. c. bell. Gall. I, 40) et Sallustii (Jug. 106, 6) oratione obliqua saepe animadvertatur, exemplis a me repertis haec pauca adnotasse. Cum enim Ammianus staret a partibus Romanorum, pronomine *noster,* et cum ipse interesset rebus gestis, pron. *nos* poterat uti. Hac autem narrantis et agentium personarum confusione efficiebat, ut, cum ipse aut loquentis aut eius, ad quem oratio habetur, personam, ut ita dicam, susciperet interdum, prae ceteris vel cum ceteris conspicuus fieret.

B.

De pronominibus personalibus et possessivis eius personam indicantibus, cuius referuntur verba vel cogitata.

Significat Ammianus hanc personam

I. pronominibus sui sibi se

et possessivo *suus*[1]), ut omnes scriptores. Omissis iis enuntiatis, in quibus haec pronomina, cum referantur ad subiectum vel alium casum eiusdem sententiae, quamlibet personam exprimere possunt, — non enim huc pertinent illa enuntiationum genera — ea liceat brevissime proferre, in quibus illa pronomina sunt:

a) *subiecti* loco in enuntiato infinitivo relati ad subiectum verbi dicendi vel sentiendi, ut

XV, 5, 7: testabatur, id *se* procul dubio scire; passim.

b) *obiecti* loco in quovis enuntiato, si id spectat ad subiectum verbi dicendi vel sentiendi, velut

XVI, 10, 16: id tantum *sibi* placuisse aiebat, quod didicisset ibi quoque homines mori.

XXVI, 7, 9: iuravere . . . hanc polliciti pertinaciam, quod eum *suis* animis defensabunt; exempla plurima passim inveniuntur.

Ann. Eius, quam Anderssonius p. 24 commemorat, ambiguitatis ex *se* pronomine oriundae, cum incertum sit, quo referendum sit, extat exemplum XXIX, 5, 51: Igmazen - - Theodosium petit, ut Masillam Mazicum optimatem ad *se* venire iuberet. Contextu solo rerum sententia diiudicatur.

---

[1]) cf. de hac re Kühner, ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache, Hannover 1877/79, II, § 117, 7.

Reliquum est, ut hoc loco accuratius investigem aliam rem, quae, quamquam minime nova est, quod legenti libros creberrime occurrit, memoratu digna videtur.

Id enim quod iam apud Ciceronem, Caesarem, Livium, Sallustium animadvertitur, omitti interdum in infinitivi cum accusativo structura subiectum *se*, saepissime factum esse in Ammiani libris cognoscebam. Neque est, cur miremur. Graecum enim natione Ammianum esse cum sciamus (XXXI, 16, 9), facile intellegimus eum Graecae linguae solutiorem et laxiorem, ut ita dicam, infinitivi c. acc. constructionem transtulisse in sermonem latinum.

Dicit autem de tota hac re Kühnerus (II. p. 516 sq.): „Die Pronomen me, te, se, nos, vos, seltener eum, eos, werden, wenn auf denselben kein Nachdruck liegt, und sie leicht aus dem Zusammenhange ergänzt werden können, zuweilen in der Konstruktion des Acc. c. Inf. weggelassen.“ Creberrime hoc fieri docet, cum idem sit subiectum verbi, ex quo infinitivus pendet, et ipsius sententiae inf. c. acc. structura adiunctae, quod praeceptum, cum de reflexivo pron. *se* solo hic agendum sit, in omnia, quae afferentur, quadrat exempla.[1])

Haec pronomina cum crebro omittantur a Caesare, Livio, priscis scriptoribus, raro a Sallustio (v. Kühner l. c.), desunt rarissime apud Ciceronem neque unquam fere nisi post verba: *dicendi, fatendi, negandi, putandi, sperandi confitendi, alia eiusmodi verba.*

Ammianus vero et ipse in o. o. pronomen *se* subiecti loco omisit

a) *post verba: testari* XVIII, 2, 8; XXIV, 6, 17), *fateri et confiteri* (XVIII, 3, 4; XXIX, 2, 19; contra XV, 3, 11: confessi inter epulas petulanter *se* quaedam locutos; propter omissum inf. *esse* v. infra (sub lit. c.) Kühneri verba);

b) *item post verba pollicendi*, si, id quod Kühnerus dicit exemplisque (Caes. b. G. 4, 21, 5; 6, 9, 7) allatis probat, ea praesentis temporis infinitivus sequitur, ut est in XVII, 12, 11; XXI, 4, 3; XXII, 7, 5; XXIII, 5, 6; XXIV, 5, 4; XXV, 6, 15; XXVIII, 1, 53; XXVIII, 5, 10; XXIX, 2, 27; XXIX, 5, 8; XXXI, 12, 15 (cf. Kallenberg p. 20); idem valet de binis locis verborum: *spondere* (XVII, 12, 1; XXIX,

[1]) cf. etiam Zumpt, lateinische Grammatik, Berlin 1844. — Englmann, Grammatik der lateinischen Sprache, 12. Aufl. § 253, A. 5.

5, 44; contra XVIII, 6, 3: cuius rei prosperante deo ductorem commodissimum *fore* (sc. se) spondebat) et *adiurare* (XX, 7, 8; 11, 3). Ubi autem verba pollicendi *futuri* infinitivus sequitur, fere nunquam pronomen *se* deest: loci huc referendi sunt omnes: XVII, 10, 5; XXVII, 10, 7; XXIV, 3, 8; XXVI, 6, 13; XXVII, 12, 7; XXXI, 4, 1. quibus omnibus praeter XXIV, 3, 8, ubi *fore* extat, *esse* omissum est. — Singularis est XVIII, 6, 3.

c) *ubi extat futuri activi participium vel perfecti passivi,* de quae re Kuehnerus (l. c.) agit his verbis: „Ziemlich oft wird das Pronomen bei dem Particip des aktiven Futurs und pass. Perf. weggelassen, wo alsdann gewöhnlich auch *esse* weggelassen wird.“ Quae verba cum non conveniant in locos modo allatos, his exemplis firmantur et quidem pendentibus e verbis

α) *minandi:* XXV, 4, 12 (contra XIV, 5, 7; XXVIII, 6, 19, ubi *se* positum est)

β) *iurandi:* XVII, 1, 13; XXI, 5, 10.

Huc referendus est etiam

XXVIII, 6, 5: non nisi abundanti commeatu adgesto et camelorum quattuor milibus adparatis, castra firmabat *esse moturum.*

d) *cum iam in antecedente acc. c. inf. structura expressum fuit et facile suppleri potest,* ut XXIII, 2, 5; XXVIII, 1, 25; XXX, 2, 3.

e) *quum proximum est infinitivo verbum dicendi, ut, quia idem est quod huius subiectum, ex cogitatione facile addi possit,* ut

XV, 5, 10: nec enim intellexisse firmabat - -, quid significatum esset obscurius

XVII, 3, 2: animam prius amittere quam hoc sinere fieri memorabat

XXI, 9, 2: sperare enim aiebat

XXVII, 5, 1: litteras obtulere Procopii, ut generis Constantiniani propinquo imperium sibi deditum sumpsisse commemorantis

XXX, 8, 13: Lycurgos invenisse praedicabat et Cassios

XXXI, 6, 8: senes - - multi, ad satietatem vixisse clamantes, - - ducebantur

XXXI, 15, 13: ceteri prae se ferebant aequiperasse discrimina potiorum.

f) *in brevibus responsis, in quibus ex antecedente interrogatione se facile intellegi potest, et in reorum defensionibus, cum ex praecedente accusatione persona eius, qui dicit, cognoscatur;* utriusque rei exempla sunt:

XX, 4, 17: negans unquam habuisse

XV, 7, 4: eum cum esse .... respondisset[1]. —

XV, 2, 8: cum ostenderet (Julianus) neutrum sine iussu fecisse

XV, 5, 14: Aedesius enim minus scisse quid actum sit .... contendens abiit

XIX, 12, 12: adserens propitiandi causa numinis haec a prima adulescentia factitasse

XXVIII, 6, 21: (gravabant Jovinum) . . . adserentes nihil eorum mandasse, quas docuerat principem

g) *„ubi se duplex poni debebat i. e. ad verba reflexiva"* (Andersson p. 25); cf. etiam Kühner p. 517: „Wenig auffallen kann die Weglassung des Pronomens, wenn dasselbe kurz vorher steht, wie C. Tusc. 1, 25, 60; N. D. 1, 39, 109." Extat huius rei unum exemplum

XXVIII, 1, 29: ambo venenorum artibus pravis se polluisse confessi .... sunt interfecti.

In ceteris cum orationis obliquae eiusmodi exemplis (XV, 3, 5; XVI, 12, 70) tum in iis, quae in scriptoris ipsius rerum narratione saepissime inveniuntur, interpretandis, quamquam e contextu rerum pron. *se* cogitari potest, cum Ammiani *acc.* c. inf. usurpatio minime sit accurate circumscripta, diiudicari non potest, utrum scriptor subiecti accusativum solum omiserit, an omnino infinitivum simplicem positum voluerit, nisi ex forma infinitivi ipsius vel alius nominis ad subiecti accusativum relati scriptorem *acc.* c. inf. cogitasse manifestum est.

De tota hac re disseruit et ipse Reisigius l. c. p. 790 sq.; dicit in fine: „Wird ein blosser Infinitiv ohne Prädikat zu dem Verb gesetzt, so kann das grammatische Subjekt, wenn es identisch ist mit dem des Zeitwortes, weggelassen werden." Ceterum eorum, quos affert, locorum integritas non satis munita est, et quod dicit Haasius de exemplis in priore annotatione (603) citatis, iis nusquam inveniebam hoc praeceptum firmari.

---

[1] cf. contra Reisig l. c. pag. 789 eius editionis, quam Haasius instituit; novissimae enim haec pars nondum confecta est.

Dubium est propter verborum corruptionem, utrum scriptor *se* scripserit necne

XXVIII, 1, 7: recalebant[1]) in auribus eius parentis effata . . . . ad usque sublimia regimenta . . . . (lacuna est) . . . . sed periturum ferro poenali.

Ann. Hoc etiam liceat commemorare, pronomen *eum* subiecti loco deesse:

XVII, 11, 4: alterum factitare ut dissolutum, alterum ut novarum rerum cupidum adserebant.

E sensu verborum praecedentium „*eum*" facile suppletur.

Idem porro quod modo explicavi exemplisque monstravi, Amm. Marcellinum in *acc.* c. inf. structura magis magisque recessisse ab accurata illa, quam cuncti servabant scriptores Romani, pronominum personalium, maxime pronominis *se* subiecti locum tenentis usurpatione, probabilius fit ea re, quod rarissime hic scriptor et ipse utitur forma illa „*sese*", quae, cum iterata sit maioremque vim habeat, ad premendum magis subiecti accusativum et conspicuum faciendum saepe ab aliis rerum scriptoribus adhibita est.

Cum enim *sese* crebro inveniatur apud Ciceronem, Caesarem, Livium, Tacitum, in Ammiani libris rarissime et quidem in or. obliqua subiecti munere fungens semel tantum extat:

XV, 3, 6: tantum aberat, ut proderet quisquam visa nocturna, ut aegre homines dormisse *sese* praesentibus faterentur.

Fortasse ne hoc quidem *sese* ab Ammiano ipso scriptum est; nam facile fieri potuit, ut mendo librarii efficeretur ex iterata extrema syllaba verbi *dormisse* antecedentis.

Semel item ablativus *sese* invenitur

XVIII, 7, 10: Antoninus . . . . orditur flecti iter suadens in dexterum latus, ut . . . . castra duo praesidiaria Barzalo et Claudias peterentur *sese* ductante.

Etiam in ipsa scriptoris, qua res narrat, oratione semel[2]) tantum memini me legere *sese* et id quidem relatum ad subiectum eiusdem enuntiati, id quod non valet de duobus exemplis prioribus; est autem hic locus:

---

1) *recalebat* Gardthauseni vitio typothetae videtur effectum.

2) Hanc formam semel item inesse in Justini epitomis e Pompeio Trogo factis observavit Fr. Seck, de Pompei Trogi sermone, pars prior, Constantiae 1881 pag. 15.

XXIX, 5, 29: Theodosius veritus, ne Marti *sese* committeret impari.

Apparet hanc raram formae *sese*, qua maior vis et gravitas exprimitur (Zumpt § 131), usurpationem, cum saepissime cernatur in accurata et subtiliore priorum scriptorum scribendi genere, artissime cohaerere cum illa crebro omittendi subiecti accusativi *se* consuetudine.

Etiam *met* pronomini se suffixum, ut id magis prematur (Madvig[1]) § 79, A. 2, Kühner I, § 130), bis tantum invenitur subiecto *se* primae personae adiunctum:

XXVII, 2, 1: eo causante diffusos per varia barbaros *semet* adoriri non posse

XXXI, 15, 9: cum prope fossas venissent . . . . ut Romanos *semet* admitti poscebant; alterius personae loco obiecti totidem exempla extant, ubi *met* vim habet pronominis ipse; haec sunt:

XX, 7, 3: hortabatur, ut . . . reseratis portis egressi victori gentium *semet* offerrent;

XXXI, 12, 5: oratus, ut praestolaretur paulisper periculorum participem, neve abruptis discriminibus temere *semet* committeret solum.

Ad possessivum pronomen *suus* maiore vi notandum Ammianus, ut alii scr., adhibet suffixum *pte;* sed huius rei exempla, cum non sint or. obliquae, hic praetermitto.

Videamus nunc, quibus aliis praeter „*se*" pronominibus Ammianus usus sit ad *personam eius, cuius vel verba vel cogitata referuntur*, significandam. Haec sunt

2. pronomen ipse.

Jam hoc loco monendum censeo Ammiani pronominis „*ipse*" usurpatione probari id, quod recte contendunt Reisigius III, 149 et Draegerus[2]) (pag. 81); dicit enim hic: „Es ist nicht zu erweisen,

---

[1]) J. A. Madvig, lateinische Sprachlehre, Braunschweig 1857, 3. Aufl.; quartam ed. mihi non contigit comparare.

[2]) A. Draeger, historische Syntax, 2. Aufl., Leipzig 1878/81. cf. Ellendt-Seiffert § 312, zu 5, et Fritsch, Über den Sprachgebrauch des Velleius Patereulus, Progr. Arnstadt 1876 p. 18.

Eadem dicendi forma prodit litteras Saporis XVII, 5, 3, et Constanti XVII, 5, 10, ut vanam superbiam unius, dignitatem et fortitudinem alterius gloriamque nominis Romani significet. Denique recta dicendi forma etiam profert maximam partem locorum e Tullio Cicerone, Vergilio, aliis poëtis ac philosophis sumptorum, ne eorum minueret pondus, gravitatem, elegantiam. In referendis aliorum hominum vel dictis vel sententiis sine discrimine modo rectum modo obliquum dicendi genus praefert. Ne omnes rectas orationes singillatim enumerem, satis habebo memorasse, centum quattuor — brevissimis non exceptis — a me repertas esse.



De ipsa Ammiani oratione obliqua.

In conformanda o. o. tria omnino spectanda sunt:

I. Verbum, quod orationi inducendae inservit.

II. In ipsa oratione

A) Pronomen,

B) Verbum.

In tractandis his tribus partibus liceat mihi ea, quae a priorum scriptorum usu non abhorrent, breviter absolvere, in exponendis iis, quae propria sunt Ammiani, diutius commorari.

Pars I.

De verbis, quae orationi inducendae inserviunt.

n eam partem si comparaveris huius rerum scriptoris dictionem cum prioribus, multo maiorem quam in singulis illorum copiam invenies verborum; sunt enim

a) *sentiendi* et quidem

α) iam a prioribus scr. usurpata: arbitrari, reputare, contemplari, suspicari, ambigere, autumare; discere, cognoscere, comperire, accipere, audire; omina colligere, serpit fama, rumores differuntur, opinio est, responsum perferre; crimine implicari, mente colligere;

β) quae propriam Ammiani habent significationem vel usurpationem: librare, mentem dirigere, sedit opinio;

b) *dicendi* et ea

α) affirmare, confirmare, clamitare, exclamare, dicere, docere, loqui, replicare, adserere, dictitare, memorare (comm.) narrare, fateri (confiteri), proclamare, testari, contendere, scribere, rescribere, respondere, addere, adicere, praedicare, indicare, murmurare, referre, adseverare, significare, exponere, perhibere, strepere, obicere, extollere, vociferari, pronuntiare, nuntiare, causari, tumultuari, increpare, deferre, arguere, insimulare, incusare, prodere; ait, negare; monstrare (confessione), ostendere; tractare; occurrere;

β) firmare, mussare, mussitare, subserere, arcessere.

Ann. Loco dicendi verbi nonnunquam sententia brevis invenitur, ut: textum aperiunt, memoriam replicabat, perstrinxit suspicio, aliae, quibus verba sequentia plerumque particula quod adnectuntur;

c) *iurandi, minandi, promittendi:* iurare, deierare, minitari, spondere, promittere, polliceri: quae verba non rarius „quod“ cum indicativo futuri coniunctum et infinitivus praesentis simplex (cf. Zumpt 605) sequuntur quam futuri infinitivus adposito vel omisso subiecti accusativo.

d) *orandi, monendi, imperandi,* et ea quidem

α) orare, petere, imprecari, precari, obsecrari, obtestari, poscere, exorare, supplicare; suadere, monere, hortari, animare, mandare, scribere, iubere, vetare;

β) ordinare, praecipere; impetere, quod verbum semel XXXI, 12, 14 invenitur et quidem cum vi postulandi.

Ann. 1. Eadem Ammiani licentia, quae cernitur ubique in structuris sequentibus verba orandi, monendi, imperandi, cum modo *ut* particulam adhibeat modo infinitivum, maxima animadvertitur in verbis: praecipere et iubere; sequuntur enim ea praeter usitatam illam infinitivi c. acc. vel c. nom. structuram infinitivus simplex atque etiam, id quod semel fit post „praecipere“ verbum XXI, 6, 9, ter post „iubere“ verbum (XXV, 8, 12; XXVI, 8, 5; XXVII, 11, 4), cum dativo personae casu coniunctus.[1])

Ann. 2. Deinde id proprium est Ammiani, quod saepissime non ex indicativo, sed e gerundio et participio praesentis, interdum perfecti verborum, quae modo enumeravi, pendentes facit orationes obliquas, ut ex „addendo, causando, memorando, replicando, cet., adserentes, firmantes, adfirmans, adsensus, confessus, cet.“, item, quod iterantur saepissime verba dicendi, velut XXIII, 2, 4; XV, 5, 6.

Ann. 3. Denique quod dicit Andersson pag. 13 omnium verborum, quibus o. o. inducitur, usitatissimum esse aio, cum ne in Caesarem quidem conveniat, huius scriptoris usu non affirmari, non est, cur miremur. Extat enim id verbum a libro XIV usque ad XXIII ter decies tantum, porro nusquam.

[1]) cf. Kallenbergius l. c. pag. 31.

Pars II.

De pronominum usu in ipsa or. obl.

gendum mihi erit, ut totam hanc rem dilucidiorem faciam, de pronominibus indicantibus
A) personam eius, qui refert;
B) personam eius, cuius verba vel cogitata referuntur;
C) personam eius, ad quem oratio habetur;
D) personam eius, de quo agitur.

A.

De pronominibus eius, qui refert, personam exprimentibus.

Persona eius, qui res narrat, cum significari soleat pronomine ego et possessivis huic affinibus, haec in Ammiani libris nusquam inveniuntur, nisi quod interdum confundens suam scribentis personam cum eius persona, qui dicit vel de quo agitur, pronomina *nos* et *noster* inducit ita, ut sint loco vocis „Romani“ et „Romanus“. Loci sunt

XX, 4, 4: nec potuit silere - - verendum esse affirmans, ne voluntarii barbari militares, saepe sub eiusmodi legibus adsueti transire ad *nostra,* hoc cognito deinceps arcerentur.

XXIV, 8, 6: nonnulli Persas *nobis* viantibus incubuisse firmabant.

XXIV, 4, 29: index nuntiaverat - - subsedisse manum insidiatricem latenter, ut inproviso inde exorta agminis *nostri* terga feriret extrema.

Idem significat scriptor pronomine *noster* eius, ad quem oratio habetur, personam, ut

XVIII, 6, 16: docet - - speculatorem se missum ad *nostra* saepe veros nuntios reportasse.

XXX, 6, 2: firmabant (Quadorum legati): nihil ex communi mente procerum gentis delictum adseverantes in *nostros.*

Sufficiat ex 17 huius rei, quae iam in Caesaris (e. c. bell. Gall. I, 40) et Sallustii (Jug. 106, 6) oratione obliqua saepe animadvertatur, exemplis a me repertis haec pauca adnotasse. Cum enim Ammianus staret a partibus Romanorum, pronomine *noster,* et cum ipse interesset rebus gestis, pron. *nos* poterat uti. Hac autem narrantis et agentium personarum confusione efficiebat, ut, cum ipse aut loquentis aut eius, ad quem oratio habetur, personam, ut ita dicam, susciperet interdum, prae ceteris vel cum ceteris conspicuus fieret.

B.

De pronominibus personalibus et possessivis eius personam indicantibus, cuius referuntur verba vel cogitata.

Significat Ammianus hanc personam

I. pronominibus sui sibi se

et possessivo *suus*[1]), ut omnes scriptores. Omissis iis enuntiatis, in quibus haec pronomina, cum referantur ad subiectum vel alium casum eiusdem sententiae, quamlibet personam exprimere possunt, — non enim huc pertinent illa enuntiationum genera — ea liceat brevissime proferre, in quibus illa pronomina sunt:

a) *subiecti* loco in enuntiato infinitivo relati ad subiectum verbi dicendi vel sentiendi, ut

XV, 5, 7: testabatur, id *se* procul dubio scire; passim.

b) *obiecti* loco in quovis enuntiato, si id spectat ad subiectum verbi dicendi vel sentiendi, velut

XVI, 10, 16: id tantum *sibi* placuisse aiebat, quod didicisset ibi quoque homines mori.

XXVI, 7, 9: iuravere . . . hanc polliciti pertinaciam, quod eum *suis* animis defensabunt; exempla plurima passim inveniuntur.

Ann. Eius, quam Anderssonius p. 24 commemorat, ambiguitatis ex *se* pronomine oriundae, cum incertum sit, quo referendum sit, extat exemplum XXIX, 5, 51: Igmazen - - Theodosium petit, ut Masillam Mazicum optimatem ad *se* venire iuberet. Contextu solo rerum sententia diiudicatur.

---

[1]) cf. de hac re Kühner, ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache, Hannover 1877/79, II, § 117, 7.

Reliquum est, ut hoc loco accuratius investigem aliam rem, quae, quamquam minime nova est, quod legenti libros creberrime occurrit, memoratu digna videtur.

Id enim quod iam apud Ciceronem, Caesarem, Livium, Sallustium animadvertitur, omitti interdum in infinitivi cum accusativo structura subiectum *se,* saepissime factum esse in Ammiani libris cognoscebam. Neque est, cur miremur. Graecum enim natione Ammianum esse cum sciamus (XXXI, 16, 9), facile intellegimus eum Graecae linguae solutiorem et laxiorem, ut ita dicam, infinitivi c. acc. constructionem transtulisse in sermonem latinum.

Dicit autem de tota hac re Kühnerus (II. p. 516 sq.): „Die Pronomen me, te, se, nos, vos, seltener eum, eos, werden, wenn auf denselben kein Nachdruck liegt, und sie leicht aus dem Zusammenhange ergänzt werden können, zuweilen in der Konstruktion des Acc. c. Inf. weggelassen.“ Creberrime hoc fieri docet, cum idem sit subiectum verbi, ex quo infinitivus pendet, et ipsius sententiae inf. c. acc. structura adiunctae, quod praeceptum, cum de reflexivo pron. *se* solo hic agendum sit, in omnia, quae afferentur, quadrat exempla.[1])

Haec pronomina cum crebro omittantur a Caesare, Livio, priscis scriptoribus, raro a Sallustio (v. Kühner l. c.), desunt rarissime apud Ciceronem neque unquam fere nisi post verba: *dicendi, fatendi, negandi, putandi, sperandi confitendi, alia eiusmodi verba.*

Ammianus vero et ipse in o. o. pronomen *se* subiecti loco omisit

a) *post verba: testari* XVIII, 2, 8; XXIV, 6, 17), *fateri et confiteri* (XVIII, 3, 4; XXIX, 2, 19; contra XV, 3, 11: confessi inter epulas petulanter *se* quaedam locutos; propter omissum inf. *esse* v. infra (sub lit. c.) Kühneri verba);

b) *item post verba pollicendi*, si, id quod Kühnerus dicit exemplisque (Caes. b. G. 4, 21, 5; 6, 9, 7) allatis probat, ea praesentis temporis infinitivus sequitur, ut est in XVII, 12, 11; XXI, 4, 3; XXII, 7, 5; XXIII, 5, 6; XXIV, 5, 4; XXV, 6, 15; XXVIII, 1, 53; XXVIII, 5, 10; XXIX, 2, 27; XXIX, 5, 8; XXXI, 12, 15 (cf. Kallenberg p. 20); idem valet de binis locis verborum: *spondere* (XVII, 12, 1; XXIX,

[1]) cf. etiam Zumpt, lateinische Grammatik, Berlin 1844. — Englmann, Grammatik der lateinischen Sprache, 12. Aufl. § 253, A. 5.

5, 44; contra XVIII, 6, 3: cuius rei prosperante deo ductorem commodissimum *fore* (sc. se) spondebat) et *adiurare* (XX, 7, 8; 11, 3). Ubi autem verba pollicendi *futuri* infinitivus sequitur, fere nunquam pronomen *se* deest; loci huc referendi sunt omnes: XVII, 10, 5; XXVII, 10, 7; XXIV, 3, 8; XXVI, 6, 13; XXVII, 12, 7; XXXI, 4, 1, quibus omnibus praeter XXIV, 3, 8, ubi *fore* extat, *esse* omissum est. — Singularis est XVIII, 6, 3.

c) *ubi extat futuri activi participium vel perfecti passivi*, de quae re Kuehnerus (l. c.) agit his verbis: „Ziemlich oft wird das Pronomen bei dem Particip des aktiven Futurs und pass. Perf. weggelassen, wo alsdann gewöhnlich auch *esse* weggelassen wird.“ Quae verba cum non conveniant in locos modo allatos, his exemplis firmantur et quidem pendentibus e verbis

α) *minandi:* XXV, 4, 12 (contra XIV, 5, 7; XXVIII, 6, 19, ubi *se* positum est)

β) *iurandi:* XVII, 1, 13; XXI, 5, 10.

Huc referendus est etiam

XXVIII, 6, 5: non nisi abundanti commeatu adgesto et camelorum quattuor milibus adparatis, castra firmabat *esse moturum.*

d) *cum iam in antecedente acc. c. inf. structura expressum fuit et facile suppleri potest,* ut XXIII, 2, 5; XXVIII, 1, 25; XXX, 2, 3.

e) *quum proximum est infinitivo verbum dicendi, ut, quia idem est quod huius subiectum, ex cogitatione facile addi possit,* ut

XV, 5, 10: nec enim intellexisse firmabat - -, quid significatum esset obscurius

XVII, 3, 2: animam prius amittere quam hoc sinere fieri memorabat

XXI, 9, 2: sperare enim aiebat

XXVII, 5, 1: litteras obtulere Procopii, ut generis Constantiniani propinquo imperium sibi deditum sumpsisse commemorantis

XXX, 8, 13: Lycurgos invenisse praedicabat et Cassios

XXXI, 6, 8: senes - - multi, ad satietatem vixisse clamantes, - - ducebantur

XXXI, 15, 13: ceteri prae se ferebant aequiperasse discrimina potiorum.

f) *in brevibus responsis, in quibus ex antecedente interrogatione se facile intellegi potest, et in reorum defensionibus, cum ex praecedente accusatione persona eius, qui dicit, cognoscatur;* utriusque rei exempla sunt:

XX, 4, 17: negans unquam habuisse

XV, 7, 4: eum cum esse .... respondisset[1]). —

XV, 2, 8: cum ostenderet (Julianus) neutrum sine iussu fecisse

XV, 5, 14: Aedesius enim minus scisse quid actum sit .... contendens abiit

XIX, 12, 12: adserens propitiandi causa numinis haec a prima adulescentia factitasse

XXVIII, 6, 21: (gravabant Jovinum) . . . adserentes nihil eorum mandasse, quas docuerat principem

g) *„ubi se duplex poni debebat i. e. ad verba reflexiva“* (Andersson p. 25); cf. etiam Kühner p. 517: „Wenig auffallen kann die Weglassung des Pronomens, wenn dasselbe kurz vorher steht, wie C. Tusc. 1, 25, 60; N. D. 1, 39, 109.“ Extat huius rei unum exemplum

XXVIII, 1, 29: ambo venenorum artibus pravis se polluisse confessi .... sunt interfecti.

In ceteris cum orationis obliquae eiusmodi exemplis (XV, 3, 5; XVI, 12, 70) tum in iis, quae in scriptoris ipsius rerum narratione saepissime inveniuntur, interpretandis, quamquam e contextu rerum pron. *se* cogitari potest, cum Ammiani *acc.* c. inf. usurpatio minime sit accurate circumscripta, diiudicari non potest, utrum scriptor subiecti accusativum solum omiserit, an omnino infinitivum simplicem positum voluerit, nisi ex forma infinitivi ipsius vel alius nominis ad subiecti accusativum relati scriptorem *acc.* c. inf. cogitasse manifestum est.

De tota hac re disseruit et ipse Reisigius l. c. p. 790 sq.; dicit in fine: „Wird ein blosser Infinitiv ohne Prädikat zu dem Verb gesetzt, so kann das grammatische Subjekt, wenn es identisch ist mit dem des Zeitwortes, weggelassen werden.“ Ceterum eorum, quos affert, locorum integritas non satis munita est, et quod dicit Haasius de exemplis in priore annotatione (603) citatis, iis nusquam inveniebam hoc praeceptum firmari.

---

[1]) cf. contra Reisig l. c. pag. 789 eius editionis, quam Haasius instituit; novissimae enim haec pars nondum confecta est.

Dubium est propter verborum corruptionem, utrum scriptor *se* scripserit necne

XXVIII, 1, 7: recalebant[1]) in auribus eius parentis effata .... ad usque sublimia regimenta .... (lacuna est) .... sed periturum ferro poenali.

Ann. Hoc etiam liceat commemorare, pronomen *eum* subiecti loco deesse:

XVII, 11, 4: alterum factitare ut dissolutum, alterum ut novarum rerum cupidum adserebant.

E sensu verborum praecedentium „*eum*“ facile suppletur.

Idem porro quod modo explicavi exemplisque monstravi, Amm. Marcellinum in *acc.* c. inf. structura magis magisque recessisse ab accurata illa, quam cuncti servabant scriptores Romani, pronominum personalium, maxime pronominis *se* subiecti locum tenentis usurpatione, probabilius fit ea re, quod rarissime hic scriptor et ipse utitur forma illa „*sese*“, quae, cum iterata sit maioremque vim habeat, ad premendum magis subiecti accusativum et conspicuum faciendum saepe ab aliis rerum scriptoribus adhibita est.

Cum enim *sese* crebro inveniatur apud Ciceronem, Caesarem, Livium, Tacitum, in Ammiani libris rarissime et quidem in or. obliqua subiecti munere fungens semel tantum extat:

XV, 3, 6: tantum aberat, ut proderet quisquam visa nocturna, ut aegre homines dormisse *sese* praesentibus faterentur.

Fortasse ne hoc quidem *sese* ab Ammiano ipso scriptum est; nam facile fieri potuit, ut mendo librarii efficeretur ex iterata extrema syllaba verbi *dormisse* antecedentis.

Semel item ablativus *sese* invenitur

XVIII, 7, 10: Antoninus .... orditur flecti iter suadens in dexterum latus, ut .... castra duo praesidiaria Barzalo et Claudias peterentur *sese* ductante.

Etiam in ipsa scriptoris, qua res narrat, oratione semel[2]) tantum memini me legere *sese* et id quidem relatum ad subiectum eiusdem enuntiati, id quod non valet de duobus exemplis prioribus; est autem hic locus:

---

1) *recalebat* Gardthauseni vitio typothetae videtur effectum.

2) Hanc formam semel item inesse in Justini epitomis e Pompeio Trogo factis observavit Fr. Seck, de Pompei Trogi sermone, pars prior, Constantiae 1881 pag. 15.

XXIX, 5, 29: Theodosius veritus, ne Marti *sese* committeret impari.

Apparet hanc raram formae *sese*, qua maior vis et gravitas exprimitur (Zumpt § 131), usurpationem, cum saepissime cernatur in accurata et subtiliore priorum scriptorum scribendi genere, artissime cohaerere cum illa crebro omittendi subiecti accusativi *se* consuetudine.

Etiam *met* pronomini se suffixum, ut id magis prematur (Madvig[1]) § 79, A. 2, Kühner I, § 130), bis tantum invenitur subiecto *se* primae personae adiunctum:

XXVII, 2, 1: eo causante diffusos per varia barbaros *semet* adoriri non posse

XXXI, 15, 9: cum prope fossas venissent . . . . ut Romanos *semet* admitti poscebant; alterius personae loco obiecti totidem exempla extant, ubi *met* vim habet pronominis ipse; haec sunt:

XX, 7, 3: hortabatur, ut . . . reseratis portis egressi victori gentium *semet* offerrent;

XXXI, 12, 5: oratus, ut praestolaretur paulisper periculorum participem, neve abruptis discriminibus temere *semet* committeret solum.

Ad possessivum pronomen *suus* maiore vi notandum Ammianus, ut alii scr., adhibet suffixum *pte;* sed huius rei exempla, cum non sint or. obliquae, hic praetermitto.

Videamus nunc, quibus aliis praeter „*se*" pronominibus Ammianus usus sit ad *personam eius, cuius vel verba vel cogitata referuntur*, significandam. Haec sunt

2. pronomen ipse.

Jam hoc loco monendum censeo Ammiani pronominis „*ipse*" usurpatione probari id, quod recte contendunt Reisigius III, 149 et Draegerus[2]) (pag. 81); dicit enim hic: „Es ist nicht zu erweisen,

---

[1]) J. A. Madvig, lateinische Sprachlehre, Braunschweig 1857, 3. Aufl.; quartam ed. mihi non contigit comparare.

[2]) A. Draeger, historische Syntax, 2. Aufl., Leipzig 1878/81. cf. Ellendt-Seiffert § 312, zu 5, et Fritsch, Über den Sprachgebrauch des Velleius Paterculus, Progr. Arnstadt 1876 p. 18.

dass ipse (Curtius ausgenommen) ohne besondere Hervorhebung nur das Hauptsubjekt der indirekten Rede bezeichne, um die Beziehung auf ein Nebensubjekt zu verhüten.“ Nam praeterquam quod in his, quae iam proferam, exemplis pronomen *ipse* semper propriam vim habet, infra, ubi de persona eius, ad quem quis orationem habet, agetur, exempla afferentur, in quibus pronomine *ipse* ne subiectum quidem verbi dicendi significatur.

Sed ne a prioribus quidem scriptoribus pronomine *ipse* simpliciter dicentis personam significatam esse, probat Draegerus p. 81 sq., cum explicet *primum* in pron. *ipse* in o. o. adhibito semper inesse propriam vim, id quod intellegitur ex Ciceronis, Caes., Sall., Liv. exemplis a Kuehnastio p. 117 prolatis, *deinde* hoc pron. saepius non usurpatum esse in tali causa, in qua eo opus esset, si adhiberetur ad evitandam pravam relationem, ut Cic. Verr. 2, 25, alias (cf. Draeger l. c.) *denique* ea exempla inveniri, in quibus pronomine *ipse* non loquentis sed alius persona significetur.

Usurpatur autem ab Ammiano in significanda eius, cuius vel verba vel cogitata referuntur, persona pronomen *ipse*

a) *ut haec prematur et a ceteris seiuncta notetur, nulla opposita alia persona;* et id quidem fit raro:

XX, 4, 8: adiectum . . . est, quod, si procursare dissimulasset, *ipse* propria sponte proiceret insignia principatus

XXVIII, 6, 28: torto Caecilio .... aperta confessione cognovit, *ipsum* (Caecilium) suasisse *civibus*, gravarent mentiendo legatos

XXIX, 1, 7: aperit textum, absolute confessus ...: motasque secretis artibus sortes et nuncupationem *principis optimi* et *ipsis* consultoribus luctuosos exitus praedixisse.

XXXI, 5, 7: exclamavit graviore pugnandum exitio, ni *ipse* (Fritigernus) ad leniendum vulgus sineretur exire cum *sociis*

XXXI, 12, 14: unum e plebe . . . misit . . . impetens nobiles quosdam et electos ad se propediem obsides mitti, impavidus *ipse* minas militares laturus

b) *ad exhibendam oppositionem duarum personarum vel binarum partium ita, ut necesse sit, ipse pronomen ponatur;* extant duo loci:

XV, 5, 6: petebat .... ut *ipse* .. *Mallobaude* .... spondente quod remeabit .... iuberetur ire .... ; vel contra se paria

promittente *Mallobaudem* orabat properare permitti, haec quae *ipse* pollicitus est impleturum

XXV, 1, 7: Tertiacorum equestris numerus a legionibus incusatus est, quod, cum *ipsae* hostium adversas inrumperent acies, *illi* - - alacritatem paene totius minuissent exercitus.

Hic numerandus est etiam, quamquam non opponuntur, sed aequiparantur duae personae

XVII, 12, 14: Arahario firmante (admissus est Usafer) pacem, quam *ipse* meruit, *ei quoque* debere proficere.

c) *Ut idem in duas vel personas vel res valere indicetur.* Cf. de hac re Kühner II, p. 460, Anm. 17 et Draeger p. 81. Ad quod exprimendum cum Cicero quinquies, Livius (cf. Kühnast l. c. p. 114, 71) undevicies, Curtius saepissime „*et ipse*“ adhiberent, ii vero, qui post hunc fuerunt, ea verba coniuncta retinerent, ut ait Draegerus l. c., et in usum suum vulgarem converterent, — apud Caesarem et Sallustium *et ipse* non invenitur —: miramur, quod in Ammiani oratione obliqua nusquam cernitur; loco particulae *et* ante ipse pron. positae „*quoque*“ adhibet; loci huius generis sunt:

XXII, 6, 3: universos iussit transire Chalcedona . . . . pollicitus quod *ipse quoque* protinus veniret

XXVIII, 5, 10: scribebat frequenter . . ., ut isdem tempore praestituto supervenirent, pollicitus *ipse quoque* . . . occurrere pavidis

XXIX, 2, 23: praefecturam autumans adfore, si *ipse quoque* se contaminasset insontium poenis.

XXXI, 12, 4: Richomerem . . . suscepit ab eodem imperatore (Gratiano) praemissum cum litteris *ipsum quoque* venturum mox indicantibus.

Incertum est, num sit orationis obliquae

XXVI, 6, 13: promisere se quae vellet cuncta facturos, favorem quoque polliciti conturmalium, inter quos *ipsi* potiorem locum obtinebant.

Omnibus igitur his locis comprobatur, pronomen *ipse* sine propria vi ad significandam eius, cuius verba vel cogitata referuntur, personam ab Ammiano non adhibitum esse neque ullam omnino reflexivam significationem inesse in hoc pronomine per se (cf. Andersson pag. 26); itaque pro reflexivo pr. simpliciter usurpari non potest.

Primam, quae dicitur, personam significat deinde

3. pronomen is, ea, id.

De hoc usu dicit *Draeger* pag. 73, § 29, b: „Trotz der o. o. tritt ausnahmsweise, oft wohl der Deutlichkeit halber, das Pronomen is, seltener ille an die Stelle des Reflexivums.“ Affert septem exempla e Cicerone sumpta — quae partim dubia sunt auctoritate partim ratione certa explicanda sunt — duo deinde e Sallustio, plura e Caesare, Livio (cf. Kühnast p. 105 sq.), Tacito, posterioribus rerum scriptoribus.

De eadem re agit *Kühner* II p. 447, § 117, 7, b, cum docet: „Wenn folgende zusammengesetzte Sätze: abhängige Fragesätze, ut-Sätze, die eine beabsichtigte Wirkung ausdrücken, Folgesätze, Vergleichungssätze, hypothet. Sätze, kurz alle aus der Seele des Subjekts im Hauptsatze ausgesprochenen Nebensätze, von einem anderen Satze abhängig gemacht werden, so dass der Hauptsatz in den Acc. c. Inf. oder in den Konj. übergeht, so wird die Beziehung auf das Subjekt dieses Hauptsatzes gewöhnlich durch das Pronomen is ausgedrückt.“

Madvigius deinde § 490, c Anm. 3 pronomina „is, eius“ loco „*se, suus*“ in sententiis secundariis spectantia ad subiectum sententiae primariae usurpari contendit, quamquam in illa expressa sit cogitatio subiecti sententiae primariae, et id fieri locis nonnullis scriptorum latinorum minus diligenter scriptis; at nunquam id fieri in enuntiato infinitivi c. acc. structura adnexo ad sententiam primariam.

Anderssonius denique ait p. 27 idem cum praecipit: „In tali constructione acc. c. inf. *is* nunquam adhibetur, quae proxime pendet ex verbo dicendi ideoque locum tenet primariae sententiae.“

Ammiani exempla, quae huc pertinent, enumerat Hassenstein pag. 30 complura recte memorans hanc licentiam apud Ammianum minus miram videri, quod ea congruat cum Graeca dicendi consuetudine.

Extant igitur haec exempla

a) *in sententiis enuntiativis* et quidem

α) a particula *quod* incipientibus, ut

XIV, 11, 7: ad hoc unum mentem . . . dirigebat, quod Constantius cuncta ad suam sententiam conferens nec satisfactionem

suscipiet nec . . . ignoscet, sed . . . . . . laqueos *ei* latenter obtendens, si cepisset incautum, morte multaret.

Cum inter *dirigebat* et *ei* complures sententiae interpositae sint, facile fieri potuit, ut scriptor relationem pronominis ad subiectum verbi dicendi non iam perspicuam ante oculos haberet.

XXV, 8, 14: spe sustentari potuerunt . . . . . *quod*[1]) velut suopte motu vel exoratus *eorum* precibus imperator eodem statu retinebit urbem

β) infinitivi c. acc. structura adiunctis ad verbum dicendi v. sentiendi, id quod semel fit:

XIV, 11, 15: conperit (Gallus) Thebaeas legiones consortes suos misisse quosdam *eum* ut remaneret . . . . hortaturos.

Videtur exemplum hoc quidem non congruere illis Madvigii et Anderssonii verbis; at participium *hortaturos* loco est enuntiati finalis (= ut v. qui hortarentur), ut *eum* scriptum sit e cogitatione legionum, non Galli.

Cum in his tribus exemplis pronomen *is* adhibitum sit loco reflexivi *in ea sententia, quae pendeat ex ipso verbo sentiendi,* non idem est in

XX, 4, 8: adiectum est quod . . . ipse . . . proiceret insignia principatus, gloriosum esse existimans iussa morte oppetere, quam *ei* provinciarum interitum adsignari.

Duabus ex causis hoc loco pron. *ei* usurpatum est: primum quod interpositis aliis sententiis (cf. supra XIV, 11, 7) longe distat ab verbo dicendi *„adiectum est“*, deinde quod [sententia *„quam ei — adsignari“* loco est enuntiati condicionalis = quam si ei provinciarum interitus adsignaretur, qua in causa] de *„ei“* usu valet Kuehneri illud praeceptum. Scribendum enim fuit, nisi ex *„adiectum est“* penderet sententia: glor. esse existimabat iussa m. opp. quam *sibi* provinciarum interitum adsignari, vel: quam si sibi . . . interitus adsignaretur. *Ei* igitur neglegenter dictum est.

b) *in secundariis enuntiatis, quae incipiunt a particula „ut finali“*, velut

XXX, 5, 12: petenti . . . . cuidam Nigrino, ut *eum* notarium faceret, exclamavit

---

1) *quod* assumptum ex G A.

XVII, 8, 3: occurrit legatio . . . pacem sub hac lege praetendens ut quiescentes *eos* tamquam in suis nec lacesseret quisquam nec vexaret.

Populares legatorum scriptor magis videtur in animo habuisse et pronomine *eos* significasse quam legatos ipsos; hi enim nuntiaverunt preces et conditiones popularium et pro iis pacem oraverunt.

XXI, 5, 12: cum antegressum eum vidisset . . . orare, ut levandi causa timoris *ei* porrigeret dexteram . . . ait . . .

Huc eodem pertinent Kühneri, quae supra protuli, verba; (oravit, ut . . . *sibi* porrigeret dexteram).

c) *in sec. enuntiatis, quae inducuntur „quod causali"*, ut

XX, 4, 13: suspensi discesserunt et maesti, quod *eos* fortuna quaedam inclemens et moderato rectore et terris genitalibus dispararet

XXVII, 12, 16: Aspacures oravit ut . . . . regnarent, causatus ideo se nec cedere nec ad partes posse transire Romanas, quod Ultra *eius* filius obsidis lege tenebatur adhuc apud Persas.

In utraque sententia scriptor confudit suam cum eorum cogitatione, de quibus agitur, ita tamen, ut illud *eos* positum sit in ea sententia, quae pendet ex ipsa sent. primaria, hoc *eius* adhibitum sit in sententia causali apta ex praecedente infinitivi cum acc. structura. Minime igitur servatum extat id quod Kühner docet (II p. 448): „In den Bedingungs- oder Kausalsätzen steht is nur dann, wenn der regierende Satz und der Acc. c. Inf. verschiedene Subjekte haben, oder wenn die Bedingung oder der Grund nicht direkt, sondern erst durch Andere oder durch Briefe mitgeteilt wird." Legimus enim iidem

d) *in sec. sententiis, quae incipiunt a particula condicionali*, et quidem semel:

XXII, 7, 5: duo agentes in rebus eum adiere promittentes latebras monstrare Florentii, si *eis* gradus militiae redderetur.

Mira denique videtur usurpatio pronominis *is*

XXII, 1, 2: (Julianus) exclamavit cecidisse qui *eum* ad culmen extulerat celsum [1]) (*eum* scriptum est e cogitatione Ammiani ipsius).[2])

---

1) *tulerat celsum* additum ex G.

2) *Hic* pronomine in o. o. nusquam loquentis persona exprimitur.

C.

De pronominibus, quibus eius, ad quem oratio habetur, persona significatur.

Ad hanc personam exprimendam omnes viri rei grammaticae periti, quamquam in singulis rebus inter se discrepant, adhiberi docent primum pronomen *ille,* et id quidem fieri *solere,* deinde pron. *is,* quod rarius inveniatur. Cf. *Kühner* II p. 1038, Anm. 4; *Ellendt-Seyffert*[1]) § 312, zu 5: „Die zweite Person der o. r. wird i. d. o. o. gewöhnlich durch *ille* ausgedrückt, bes. wenn sie betont ist, oder auch durch *is,* wenn sie unbetont ist."

Multum ab hac priorum scriptorum consuetudine abhorret Ammiani pronominum usurpandorum ratio. Nomine proprio enim nusquam posito, utitur

I. pronomine „is",

id quod saepissime fit, et quidem

a) *in enuntiatis infinitivis*

aut *subiecti* munere fungente:

XIV, 11, 20: *eum* post haec nihil passurum confirmans; ceteri loci sunt: XVIII, 5, 6; XIX, 12, 16; XXVIII, 1, 37; (4)

aut *obiecti* locum tenente:

XIV, 11, 22: dictitanti... *eum* se per novem menses utero portasse praegnantem; sic etiam: XV, 5, 16; XIX, 9, 6; XIX, 12, 16; XX, 4, 20; XXIII, 2, 4; XXVI, 6, 14; XXIX, 1, 33; XXIX, 5, 17. (9)

b) *in eis, quae particula „quod" locum obtinente inf. c. acc. inducuntur;* quae sunt omnes:

XIV, 11, 11: pellexit . . saepius replicando quod . . . *eum* videre frater cuperet patruelis . . . . participemque *eum* suae maiestatis adscisceret; praeterea XXII, 2, 1; XXVI, 7, 9; XXXI, 4, 4. (5)

c) *in eo enuntiato, quod incipit a pron. relativo:*

XV, 8, 2: nihil esse ita asperum dictitantes, quod praepotens *eius* virtus . . . . non superaret ex more

---

[1]) Ellendt-Seyffert, Lateinische Grammatik, Berlin 1880.

d) *in eo, quod pendet ex particula „ut“:*

XIX, 11, 6: exorabant ut . . . . transmisso flumine ad *eum* venire permitterentur

Summatim igitur altera persona notata est pronomine „is“ — vicies. — Deinde utitur.

2. Pronomine „ipse“ (4)

ad significandam alteram personam et quidem semper *cum vi propria;* qui loci sunt

XVIII, 3, 2: *(maritum)* obtestans, ne post obitum Constanti propinquantem in imperium *ipse* ut sperabat admissus, despecta se anteponeret Eusebiae matrimonium

XXIV, 4, 21: nuntiatur *imperatori* . . . . legionarios milites . . . . ima penetrasse fundamentorum, iam si *ipse* disposuerit, evasuros

XXVI, 6, 2: mandarat (Julianus *Procopio*) . . . . si subsidia rei Romanae languisse sensisset, imperatorem *ipse* se provideret ocius nuncupari

XXII, 15, 24: Tullius imperat Sardis, ut de familia nobili *ipsi quoque* cum orbis terrarum auctoritate sentirent

Non miramur quod illud *„ipse quoque“,* de quo iam supra (pag. 21) actum est, idem invenitur in exprimenda *altera* persona, cum insit in eo per se significatio non personae, sed aequiparationis. Itaque in tertia quoque persona notanda legitur, ut XVIII, 2, 1; XXIX, 1, 33.

Denique cum pronomine *ipse*, non adposita particula *quoque,* tertia persona significetur, ut XXIX, 1, 42: „insimulatus . . . . praedixisse consultores *ipsos* suppliciis poenalibus perituros“, dubitari minime potest, quin simplex personae notatio sine maiore vi aliena sit ab Ammiani huius pronominis usurpatione.

Altera autem persona exprimitur porro

3. pronomine „ille“.

Quod pronomen cum grammatici exprimere alii posse, alii debere, plurimi solere [1]) praecipiant personam eius, ad quem quis orationem habet, maxime mirum est hoc semel tantum apud Ammi-

[1]) Englmann § 287, Anm. 1. Andersson p. 31, ann. 2. Ellendt-Seyffert p. 270, Anm. 2.

anum alteram personam significare et quidem *maiore vi elatam*; hoc est

XXVIII, 1, 32: (Aginatius) docuit Probum occulte facile vanum hominem recalcitrantem (Maximinum) sublimibus meritis posse opprimi, si *ille* (Probus) id fieri censuisset.

In quo enuntiato etiam structura temporum et modorum cum priorum aetatum consuetudine, id quod haud crebro fit, congruit.

D.

De pronominibus tertiam personam sive eius, de quo agitur, indicantibus.

Omnes fere grammatici docent adhibendum esse ad hanc personam indicandam pron. *is*, rarius *ille*. Deinde, cum hoc loco agendum sit non solum de personis sed etiam de rebus, eidem plerumque consentiunt, cum praecipiunt quod dicit

Kühner (p. 1038, Anm. 4): „Statt der Demonstrative hic und iste werden is oder ille gebraucht; jedoch wird auch bisweilen hic beibehalten und dadurch die besprochene Person mehr vergegenwärtigt,"

aut Ellendt-Seyffert (§ 312, zu 5, Anm. 2): „Wo in der o. recta das Pronomen der Gegenwart hic oder das Adverbium der Gegenwart nunc steht, tritt in der o. o. nach einem Präteritum ille oder tum ein,"

aut Englmann, qui quidem scholae soli praecipit, § 287, Anm. 1: „Was in der o. recta durch hic, soll in der o. o. in der Regel durch ille bezeichnet werden."

Contra haec praecepta disputabat Knoke[1]), cum demonstrabat multis locis a Caesare petitis, quos enumeravit in singula genera distributa tantum abesse, ut pronominis „hic" usurpatio in o. o. arte circumscripta esset, ut apud Caesarem neque in *ille* neque in *is* pronomen *hic* unquam mutatum esset. Sed cum propriam tantum h. e. continuatam o. obliquam amplectatur dissertatione sua, non satis refellisse videtur illa praecepta.

Investigemus nunc Ammiani usum pronominum tertiam personam vel res, de quibus agitur, significantium. In quo omittentur

---

1) Fr. Knoke, über hic und nunc in der o. o., Programm, Bernburg 1881.

ii loci, quibus pronomina *is* et *ille* spectant ad relativum, cum non proprius sit hic usus orationis obliquae, pronominis *hic* omnia exempla afferentur.

Saepissime et quidem *undetricies* reperitur

1. pronomen is;

loci sunt omnes:

XIV, 11, 3: (spadones) virum fortissimum opprimebant, subolescere imperio adultos *eius* filios mussitantes, ... Gallum suopte ingenio trucem per suppositos quosdam ad saeva facinora ideo animatum ut *eo* .... exoso ad magistri equitum liberos principatus insignia transferantur.

XIV, 11, 6 $(\frac{37}{33})$;[1]) 11, 9 $(\frac{38}{10})$. XV, 6, 2 $(\frac{61}{18})$; 7, 4 $(\frac{62}{29})$; 9, 3 $(\frac{68}{18})$. XVII, 12, 14 $(\frac{136}{29})$. XVIII, 6, 16 $(\frac{160}{9})$. XXI, 12, 19 $(\frac{252}{4})$. XXII, 3, 8 $(\frac{268}{22})$; 8, 49 $(\frac{284}{15})$; 12, 3 $(\frac{292}{4})$. XXIII, 2, 1 $(\frac{309}{10})$. XXIV, 3, 13 $(\mathrm{II}\,\frac{12}{10})$. XXV, 6, 1 $(\frac{46}{25})$; 8, 8 $(\frac{53}{15})$. XXVI, 6, 3 $(\frac{74}{26})$; XXVIII, 1, 19 $(\frac{129}{20})$; 1, 35 $(\frac{132}{29})$. XXIX 1, 34 $(\frac{169}{5})$; 2, 19 $(\frac{175}{23})$;[2]) 3, 7 $(\frac{179}{17})$; 5, 52 $(\frac{194}{7})$. XXX, 1, 17 $(\frac{203}{17})$; 2, 4 $(\frac{205}{29})$; 10, 3 $(\frac{228}{30})$; XXXI, 12, 9 $(\frac{263}{4}, \frac{263}{5})$.

Ann. 1. Saepius velut XXII, 8, 49; XXXI, 12, 9 Ammianus utitur pronomine „*idem*“, ubi pronominis *is* usus satis fuit.

Ann. 2. Quod loco pronominis *is* positum esse reflexivum *sui sibi se* in o. recta demonstrat *Hassenstein* p. 31, in oratione obliqua non item reperitur.

Tertia persona cum notatur, legitur porro:

2. pronomen ille,

et quidem

a) *in personis significandis*

cum *vi maiore* elatum:

XXII, 7, 8: hostes quaerere se meliores aiebat, *illis* enim sufficere mercatores Galatas, . . .

Hoc loco „*illis*“ intelleguntur Gothi remoti iidemque abiecti minimeque metuendi, ut imperator putabat, id quod in recta oratione pronomine *iste* exprimi solere grammatici dicunt.

---

1) Numeri uncis inclusi indicant paginas editionis Gardthausenianae, numeri iis subscripti versus paginarum.

2) *eis* adsumptum ex G A.

XXIII, 2, 3: docebat non *illum* meruisse, sed Antiochensibus avaris et contumeliosis huiusmodi iudicem convenire;

Ex iis, in quibus *oppositio* exhibetur, exemplis, omissis locis ut XXI, 1, 13 et XXX, 8, 8, cum in oratione recta eadem forma expressi essent, hunc unum afferam:

XXV, 1, 7: Tertiacorum equestris numerus a legionibus incusatus est, quod, cum *ipsae* hostium adversas inrumperent acies, *illi* .... alacritatem .... paene minuissent.

sine maiore vi adhibitum

XV, 12, 4: ait Tullius Gallos post haec dilutius esse poturos quod *illi* venenum esse arbitrabantur

XXVII, 3, 4: quidam plebeius finxerat *illum* dixisse .... libenter se vino proprio calcarias extincturum.

XXXI, 1, 3: quae (sc. prodigia) hunc *illi* inpendere exitum vitae... monstrabant.

b) *in rebus exprimendis*

ubique *cum maiore vi,* velut

XIV, 9, 5: latrocinium *illud* esse non iudicium

XXI, 16, 14: monet .... *illud* vero eminere inter praecipuas laudes, cum velut sub iugum missa saeviendi cupiditate in arce victoris animi tropaeum erexerit gloriosum.

Ad res remotiores spectat *„ille“:*

XXII, 15, 6: ex Aethiopicis imbribus, qui abundantes in tractibus *illis* per aestus torridos cadere memorantur, exundationes eius (Nili) erigi.

Oppositio notatur hoc pronomine:

XXVIII, 1, 15: strepentes *id* actum esse prius, non *illud,* aut ea, quae viderint praetermissa:

Personam et res, de quibus agitur, denotat denique

3. pronomen hic.

Cum generatim dici possit pronomen „ille“ adhiberi in o. o. ad ea proferenda, quae vel tempore vel loco remotiora ab eo sunt, qui dicit, et ad eum denotandum, de quo mentio est, ubicunque in recta o. *„hic“* positum est (cf. Krüger § 653, Reisig § 208, ann. 366, Zumpt § 703), pronomine *„hic“* ea significantur, quae propiora sunt loquenti.[1])

---

[1]) Andersson p. 30 sq.

De huius pronominis, qui extat in Caesaris propria o. o., usu disserit *Knoke* (l. c. pag. 5): „Der Gebrauch ist völlig unbeschränkt, mag sich nun hic in Verbindung mit einem Relativum vorfinden, mag es auf einen Nebensatz hinweisen oder mag es sich auf etwas vorher Erwähntes beziehen, selbst mag es endlich rein das Gegenwärtige in der Zeit oder im Raume bezeichnen."

In Ammiani igitur oratione o. pronomen „*hic*" invenitur

a) *in personis* significandis, id quod admodum raro fit, et quidem

XV, 8, 2: anus cum quinam esset ingressus conperisset .... exclamavit *hunc* deorum templa reparaturum

XVI, 11, 7: finxit ... *hos* eosdem tribunos ad sollicitandos milites, quos duxerat, per speciem venisse negotii publici.

Cum in his duobus exemplis *sola vis demonstrativa* exhibeatur, demonstratio et oppositio s. aequiparatio coniunctae cernuntur.

XXIX, 5, 23: vituperant .... Dardanos hostes memorantes internecivos, et iuste, quae sustinuere, perpessos, *hos* vero subsignanos milites debuisse lenius corrigi

XXX, 8, 8: quam .... purgare temptabant, id adfirmando quod, ut *ille* (Aurelianus) ... torrentis ritu ferebatur in divites, ita *hic* quoque .... crudelitati cupiditatem opes nimias congerendi miscebat

b) *in rebus* demonstrandis et quidem

α) *cum refertur ad pronomen relativum,* ut

XXIX, 1, 6: exclamabat Palladius levia esse *haec,* de quibus agitur, et praetereunda; item

XVI, 10, 17; XX, 2, 3.

β) *in statuenda oppositione*

XXI, 1, 13: vanities ... plebeia strepit ... mussando ..., cur ille se casurum in bello vel alius *hoc* se passurum ignoravit aut *illud*

γ) *cum* „**hic**" *spectat ad verba subsequentia,* ut

XX, 4, 4: nec potuit silere: ut illi nullas paterentur molestias, qui .... sub *hoc* venerant pacto, ne ducerentur ad partes umquam transalpinos ....;

XX, 5, 10: rettulerat imperator perquietem aliquem visum ... *haec* obiurgando dixisse „olim Juliane cet".

δ) *ubi* „**hic**" *pertinet ad res antea commemoratas,* ut

XV, 9, 3: Aborigines primos in *his* regionibus quidam visos esse firmabant; item

XV, 9, 5 I $\frac{68}{26}$; XVII, 4,11 I $\frac{118}{29}$; XIX, 12, 12 I $\frac{194}{11}$; XX, 4, 4 I $\frac{202}{13}$; XX, 9, 9 I $\frac{220}{21}$ XXI, 14, 3 I $\frac{257}{20}$; XXII, 9, 11 I $\frac{286}{26}$; XXIII, 1, 7 I $\frac{308}{28}$; I $\frac{308}{31}$; XXV, 4, 2 II $\frac{39}{32}$; XXVII, 4, 3 II $\frac{101}{2}$; XXVIII, 4, 15 II $\frac{146}{17}$; XXX, 5, 2 II $\frac{214}{26}$; XXXI, 1, 3 II $\frac{231}{11}$.

ε) *cum pertinet* „**hic**“ *ad praesens tempus et loquentis personam.* Quam rem potissimum grammatici intellegunt multi, cum docent in or. obl. pro „**hic**“ substituendum esse „**ille**“. Quod praeceptum ignorasse veteres scriptores, et Caesaris (v. supra) et Sallusti Livique locis satis demonstratur. Et Krüger p. 891, A. 2 (cf. Andersson p. 31) recte dicit, *hic* adhiberi posse e cogitatione loquentis non minus quam *ille* e cogitatione referentis i. e. scriptoris.

Qua re non offendimur, cum legimus apud Ammianum:

XXIII, 5, 10: ostendebant signum *hoc* esse prohibitorium

XXVIII, 6, 8: petit Remigium .... ut provideret imperatoris arbitrio cognitionem *huius* (h. e. imminentis iamque praesentis) negotii vicario sibique deferri

XXIX, 1, 33: versus illos prodiderunt enuntiantes, capitalem eis *hanc* (o. r. haec-nostra) operam scrutandi sublimiora cito futuram

XXX, 1, 17: addentes quod *huius* modi artibus (h. e. ab eo (Para) exercitatis)... tristes sollicitudines, *si* (G) *huic* (=praesenti) inrisioni superfuerit, excitabit (contra XX, 4, 4: eius modi).

Ad praesens tempus spectat utrumque pronomen *hic* et *is*

XXIII, 1, 7: nuntiatum est Romae super *hoc* bello libros Sibyllae consultos imperatorem *eo* anno discedere a limitibus suis aperto prohibuisse responso.

Pronomen *hoc* idem significat: „*bellum, quod iam antea dictum est*“, *eo*[1]) meram habet vim demonstrativam, ut exprimat: „in dem gegenwärtigen, laufenden (Jahre)“.

Haud facile discernas, utrum sic variandi causa, an e cogitatione scriptoris „*hoc*“, *eo* propter orationem obl., Ammianus scripserit an alia re ductus sit.

---

[1]) Cf. Kühner II, p. 453, Anm. 2.

In pronominibus igitur usurpandis Ammianus *is* pronominis pro reflexivo usum latius propagavit sequens scilicet Graecam consuetudinem, ceteroquin autem quamquam recessit a priore usu minime praeceptis grammaticorum repugnavit.

Restat ut pauca addam de adverbiis loci et temporis a pronominibus derivatis et affinitate cum iis coniunctis.

Pronomini „ille" remotiora, „hic" propiora significantibus „tum" et „nunc" respondent in adverbiorum numero. Itaque de adverbiorum usu in o. o. generatim praeceptum valet, pro „nunc" rectae o. ponendum esse, cum momentum temporis hac particula indicatum a referente remotius sit, e cogitatione referentis „tunc s. tum", de eadem causa pro *hic ibi* pro *adhuc ad id tempus* cet. Rationem enim habent scriptores non loquentis temporis sed sui referentium in o. o. Nihilo minus *nunc* docet retineri in o. o. *Krüger* p. 892, quamquam raro, in significando loquentis tempore. Et *Kühner* dicit p. 1038 Anm. 4: „Wenn aber die Gegenwart dessen, von dem Etwas referiert wird, einer früheren Zeit entgegen gestellt wird, m u s s es (nunc) immer beibehalten werden, aber auch sonst geschieht dies bisweilen des grösseren Nachdrucks wegen."

Apud Ammianum *nunc* nusquam invenitur, sed loco eius *tunc*, ut

XXIV, 2, 1: intempestivam *tunc* (= *nunc* loquentis) defectionem esse firmabant; item

XXV, 2, 7: vitandum esse cautissime responderunt, ne quid *tunc* temptaretur

XXXI, 6, 4: suadens.... ut regiones vacuas praesidiis etiam *tum* adorerentur; saepius.

At nunquam pro *adhuc*[1]) positum inveni *ad id tempus* (*illud tempus*), sed pariter atque in o. r. significatur hoc adverbio eius, cuius verba vel cogitata referuntur, praesens, referentis igitur scriptoris praeteritum tempus, velut

XVIII, 7, 10: Antonius . . . orditur, flecti iter suadens in dexterum latus, ut per longiorem circumitum omnium rerum usu regionum feracium et . . . *adhuc* intactarum, castra . . . peterentur sese ductante, ubi tenuis fluvius . . angustus nullisque *adhuc* aquis advenis adulescens facile penetrari poterit....

---

[1]) Zumpt, § 292.

Apparet in *altero „adhuc“* loci quandam significationem inesse.

XXV, 4, 2: legitur, Sophoclem .... interrogatum ecquid *adhuc* feminis misceretur, negantem id adiecisse ...

Item XXV, 5, 8; XXVII, 12, 16.

Etiam *futuri temporis* vim quandam cognoscimus


XXIII, 3, 5: mandabat eis ut ... apud Assyrios *adhuc* agenti sibi concurrerent.

Adverbium *„hic“* nusquam invenitur in o. o., sed loco eius usurpantur: *ibi* et *illic, illuc* cet. sine discrimine, velut

XVI, 10, 16: id tantum sibi placuisse aiebat, quod didicisset *ibi* (o. r. = hic) quoque homines mori

XVIII, 2, 7: Florentio et Lupicino .... certantibus per pontem *illic* (= hic in o. r.) constitutum transiri debere

Alia exempla harum particularum passim reperiuntur.



Pars III.

De verbo in ipsa oratione obliqua.

ua in re tractandae erunt deinceps:

A) sententiae primariae et quidem,
1. enuntiativae,
2. imperativae,
3. interrogativae.

B) sententiae secundariae.

Primum igitur disseremus

A.

de sententiis primariis et his quidem

I. enuntiativis:

Enuntiativas sententias primarias in o. o. omnes grammatici docent accusativo cum infinitivo struendas esse; ac ne illis quidem coniunctivi modi pro accusativo c. inf. usurpati exemplis, quae *Nipperdeius* ad Caes. b. c. III, 73, 6 (Quaest. p. 181 f.) affert (cf. *Procksch*[1]) *pag. 27)* ex Cicerone (de off. I, 44, 158; de nat. deorum I, 44, 123), e Corn. Nepote (Them. 7, 6), e bello Afr. (31, 3), huius praecepti vis restringitur, cum duo illa ne pertinere quidem huc videantur,[2]) duo posteriora non magni ponderis sint,

---

1) A. Procksch, die consecutio temporum bei Caesar, Leipzig 1873.

2) Cic. de off. I, 44, 158: „Nec verum est, quod a quibusdam dicitur, propter necessitatem vitae, quod ea, quae natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communitatem et societatem; quod si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditaretur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret." Hoc loco *„quod"* est causalis, et *„quod, si"*, non *quodsi* legendum.

neque illo ipso Caesaris loco, quod eum emendandum esse verisimillimum est.

Ammianus igitur in conformandis his sententiis plerumque utitur et ipse

I. accusativi cum infinitivo structura,

id quod fit circiter trecenties septuagies octies et in brevibus et in continuatae or. obl. exemplis, cuius rei propter magnam copiam locos afferre supersedeo.

Singillatim autem haec annotanda sunt:

1. Cum duae sententiae, quarum suum utraque verbum habet, comparantur, quae est in primaria sententia constructio accusativi c. inf. eadem interdum transit in secundariam (Andersson p. 35, ann. 4; Madvig § 402, c).

Apud Ammianum extat huius generis

XXVII, 3, 4: vilis quidam plebeius finxerat, illum dixisse.... libenter se vino proprio calcarias extincturum, quam id venditurum pretiis, quibus sperabatur.

[De adverbio *libenter* pro comparativo posito valet quod dicit *Kühner § 225, 3 Anm. 6:* „Zuweilen wird magis (potius) vor quam weggelassen (nie bei Cicero),“ cuius rei multa exempla affert a Plauto, Sallustio, Nepote, Livio, aliis petita. Idem fieri docet post verba: velle cet. ut in Graeca lingua post verba *βούλεσθαι, ἐθέλειν, αἱρεῖσθαι* cet. omittitur saepe particula comparativa. Itaque non miramur hanc in Ammiani comparationibus nonnunquam deesse; legimus enim etiam

XX, 4, 8: gloriosum esse existimans iussa morte oppetere quam ei provinciarum interitum ad signari. Cf. porro de hac re *Wölfflin*[1]) p. 71 sq.: (Der Positiv) kann nur dann für den Comparativ oder den Superlativ stehen, wenn diese Stellvertretung aus andern Gliedern des Satzes geschlossen

Cic. de nat. deorum I, 44, 123: „Verius est igitur nimirum illud quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit ... nullos esse deos Epicuro videri, quaeque is de diis immortalibus dixerit, invidiae detestandae gratia dixisse: neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculi similem deum fingeret“ *Tam desipiens fuisset* non esse orationis obl., facile intellegimus, cum respicimus antecedens illud: Ludimur cet. — cf. Kühner p. 1027, Anm. 1.

[1]) Ed. Wölfflin, Lateinische und romanische Komparation, Erlangen 1879; cf. etiam J. H. Schmalz, Lateinische Syntax im Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft, herausgegeben von J. Müller, II. Bd., S. 341.

werden kann.“ Besonders beliebt ist der Positiv vor quam bei den Afrikanern. — Reisig § 227.]

2. eae quoque sententiae, quae incipiunt a pronomine relativo, nonnunquam accusativo c. inf. struuntur (*Reisig* § 447; *Kühner* p. 1036, 2 a), quo loco multa exempla Ciceronis aliorumque scriptorum proferuntur); externa enim ratione tantum sententiae, quibus cogitata referuntur vel indicatur aliquid esse aut fuisse, primariae enuntiationi adnexae sunt, ut forma secundariae, vi et natura primariae sint sententiae; itaque nexu non turbato pro relativo pronomine demonstrativum substitui potest. Ammiani huius generis loci, quos iam exhibuit Kallenberg p. 18, sunt: XXIV, 3, 1 et XXV, 10, 3.

3. loco inf. c. acc. saepius iam poëtae et posteriores qui soluta oratione utebantur scriptores (Petr 129; Plin. h. n. 16, 12; Apul. m. 7, 14) — [*Ciceronis* verba: leg. agr. 2, 21, 57: „qui (ager) publicus esse fateatur“ alii huc referenda censent alii negant, cum „fateatur“ genus passivum esse intellegant; et *Taciti* ille locus, quem *Andersson* [1]) adnotavit p. 35, in dubium vocatur (hist. 4, 55: ipse e maioribus suis hostis populi Romani quam socius iactabat), quum verisimile sit recte legi cum Rittero: *socios*] — ex more Graecorum infinitivum c. nom. adhibebant ita, ut huius subiectum, cum idem sit quod verbi dicendi vel sentiendi, ad illud spectet. — De hac re disseruerunt: *Draeger* § 458, *Kühner* p. 517 sq., *Reisig* § 449.

Ex Ammiani igitur libris protulit Kallenberg pag. 19: XIV, 2, 9; XVII, 13, 11; XIX, 11, 6, quibus locis inveniretur infinitivus c. nom. Sed mihi quidem primum tantum probatur exemplum: „*arbitrabantur nullo impediente transgressi apposita quaeque vastare.*“

In altero enim exemplo XVII, 13, 11: „*mussantesque audiebantur interdum fortunae non meriti fuisse quod evenit*“ arcessita est interpretatio, qua intellegit Kallenberg vocem „*meriti*“ nominativum; nam oppositio, quae optime expressa est pari casu genitivo, ea interpretatione prorsus neglegitur et depravatur.

In eo vero, quod deinceps exhibitum legimus, exemplo XIX, 11, 6: „*Principem exorabant in veniam obsecrantes, ut .... transmisso flumine ad eum venire permitterentur docturi, quae sustinerent incommoda, paratique intra spatia orbis Romani, si id placuerit,*

---

1) Item Kallenberg p. 19.

terras suscipere longe discretas" aperte significat particula *„que"* sic coniungenda esse verba; „permitterentur . . . docturi paratique" ut nos Germanice dicimus: und als bereit seiende = da sie ja bereit seien. Non ergo primaria sententia a voce „parati" incipit; et ii, quos ad exponendum particulae *„et"* usum Kallenberg annotat, loci: XIV, 11, 4 et XV, 8, 1, minime huc pertinent, quod ibi hac particula verbis sentiendi aliud verbum dicendi vel sentiendi adiungitur, hoc loco autem particula *„que"* est in ipsa o. obliqua.

Alium autem locum magis fortasse censeas hic numerandum esse; is est:

XXVIII, 5, 10: scribebat ad eorum (Burgundiorum) reges, ut isdem (Alamannis) tempore praestituto supervenirent, pollicitus ipse quoque transito . . Rheno occurrere pavidis.

Sententia cum sit: et Burgundii superveniant Alamannis et ipse quoque (Valentinianus) occurret pavidis —, concedas coniungi debere *ipse quoque* cum verbo *occurrere;* sed si quis dicet, non semper servari tam accuratam in scribendo rationem et coniungi posse: pollicitus ipse quoque = und auch er für seine Person versprach u. s. w., non repugno.

Miremur, quod Ammianus, cum aliis in rebus saepissime Graecum sermonem secutus sit, non crebrius hanc nominativi c. inf. structura usus est.

4. verbum *fateri* Ammianus ita adhibet, ut, id quod iam apud priores poëtas et apud Livium cernitur (Dräger p. 216, 10), loco infinitivi cum acc. verba fatentis exprimat absoluta sententia primaria, eo tantum discrimine interposito, quod illi inserebant sententiae verbum ipsum, hic praemittit.

Loci qui extant sunt hi:

XXV, 3, 9: nec fateri pudebit, interiturum me ferro dudum didici fide fatidica praecinente

XXVII, 11, 4: fatendum est: nunquam illa magnanimitate coalitus . . . . agere quicquam jussit inlicitum

5. haud praetereundum videtur quod uno loco in enuntiativa sententia primaria coniunctivus modus, ut optatum vel potius asseveratio exprimatur, adhibitus legitur: XXIV, 3, 9: animabat . . . Julianus exercitum, cum . . . per inchoatas negotiorum magnitudines deieraret assidue: *„sic sub iugum mitteret Persas, ita quassatum recrearet orbem Romanum"* = Möchte er so gewiss u. s. w. (cf.

Kühner p. 964, 3; Ov. met. VIII, 866; Hor. od. I, 3, 1). Opus erat scriptori coniunctivo modo, ut significaret vim optativam, sive *exercitus* est subiectum duarum sententiarum sive *Julianus;* mea quidem sententia *hic* locum tenet subiecti, quod in sequentibus exemplis Traianus item subiecti munere fungitur.

Annotatio: Generatim ac summatim tantummodo, quia non pertinet ad ipsam or. obliquam, liceat duas res exhibere:

a) Ammianus multo maiorem libertatem quam priores omnes scriptores sibi vindicat in usurpando *simplici infinitivo* (v. Kallenberg p. 8 sq.). Apparet eum sprevisse accuratam illam infinitivi c. acc. struendi rationem, quamquam illam haud ignorabat. Graeca consuetudo, a qua penitus recedere non poterat, cum parum eruditus esset in arte Latine scribendi, plurimum, nisi fallor, attulit ad hunc usum. Scribit enim, ut ait Kallenberg p. 6, Latine, Graece sentit. Sufficiat pauca eaque memoratu dignissima exempla protulisse:

1. verba „accusare, insimulare, deferre cet.“

α) tribus locis tantum (XXV, 4, 23, quem unum Kallenberg p. 15 enotavit, XXIX, 1, 5; XXIX, 2, 9), quibus omnibus activum verbi genus antecedit, accusativi c. inf. structura sequitur; contra saepissime coniunguntur

β) cum nominativo c. inf. (v. Kallenberg l. c.), qui quidem usus post *arguor, indicor, iudicor* a Cicerone, post *accusor* a Sallustio cet. (cf. Dräger II p. 418 sqq.) invenitur, sed rarius quam apud hunc scriptorem (Kallenberg p. 15); praeterea sequitur illa verba:

γ) quod cum indicativo coniunctum XIX, 3, 7, saepe

δ) quod cum coniunctivo coniunctum XVIII, 1, 19,

ε) ut, quasi cum participio: XXIX, 2, 5; XXVI, 6, 6.

ζ) quod cum verbis „dicebatur, credebatur“ XIX, 12, 9.

2. Huc pertinent quae supra [1]) exposui de verbis *promittendi, iurandi* cet.; quibus addam quod praeter praesentis infinitivum simplicem XXIV, 5, 4, ea verba sequitur etiam: *quod* coniunctum cum *futuri indic.:* XXVI, 7, 9; XXIX, 3, 7 alias, *quod* cum *coniunctivo* coniunctum: XXII, 6, 3.

b) Personalis, ut ita dicam, structura sive nominativus c. inf. latius patet multoque saepius legitur quam apud priores

---

1) pag. 15 sq.

rerum scriptores et in singulis enuntiatis, ut XXVII, 11, 6; 12, 3; 12, 5 cet., et in longioribus enarrationibus, ut XXV, 10, 13; 10, 16; 9, 9.

Adiungitur enim haec structura

a) ut apud optimos scriptores, verbis: fertur, dici, memorari, audiri; aestimari, credi, existimari, putari; nuntiari, conperiri;

b) id quod fit idem apud posteriores scriptores, verbis: sperari (XVII, 3, 1; XXX, 10, 1; v. Dräger II, p. 455), permitti (Dräger II, p. 454) firmari XVII, 6, 3; adfirm. XXXI, 12, 11; inveniri[1]) XXV, 9, 9; reperiri XXX, 8, 1. Ceterum pendet ex passivorum horum verborum formis impersonalibus apud Amm. quoque — saepissime id cerni apud priores scriptores demonstrat Dräger II, p. 456 sqq. —, sed rarissime *acc. c. inf.* (velut XXVII, 7, 8) et *quod* particula *c. indic.* coniunctum (XXIII, 6, 24), sed item rarius usurpatum.

Loco infinitivi c. acc. Ammianus saepissime utitur in conformandis sententiis primariis enuntiativis

II. particula „quod" cum indicativo vel coniunctivo modo sequente.

Multum iam de hac structura disputatum est. Conferri possunt quae disseruerunt praeter alios Reisig § 331 (cum Haasii ann.), Kühner p. 838, f., Dräger p. 229 sqq., Madvig, opusc. acad. II, p. 232 sqq., Zumpt § 629, Köhler[2]), Schmalz l. c. p. 337 sq.

De Ammiani ipsius particulae *„quod"* usu diligentissime, sed confundentes rectam et obliquam orationem disputaverunt Kallenberg l. c. p. 9 sqq. et Ehrismann l. c. p. 66 sqq.

Hic qui extat post verba sentiendi et dicendi particulae *„quod"* usus diligentissime, quamquam res saepe difficillima est diiudicatu, secernendus est ab illo, quo (quod = was das betrifft, dass ..., der Umstand, dass ..., in Betreff dessen, dass ... u. s. w.) apud omnes omnium temporum scriptores eae sententiae secundariae inducuntur, quibus quid contineat verbum aliquod antecedens exprimitur sive illud est substantivum vel pronomen demonstrativum aut interroga-

[1]) Dräger p. 451. — Aug. civ. dei (Dombart[2]) II: p. 254; 26; 291, 25; 522, 8.

[2]) Alb. Köhler, de auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate, diss. inaug., Erlangen 1877.

tivum (quid quod) vel verbum accedendi et adiciendi vel praetereundi et mittendi vel faciendi et accidendi (Kühner pag. 836 sqq.).

Ex illa igitur usurpatione, in qua ad antecedens pronomen demonstrativum particula *quod* referebatur, mihi quidem videtur manasse libera posterior eius particulae post verba dicendi et sentiendi usurpandae ratio. Cf. Cic. fam. 3. 8, 6 an mihi de te nihil esse dictum . . . putas? ne *hoc* quidem *quod* . . . . Taurum ipse transisti? Pronomen enim demonstrativum antea adsumptum ad haec verba tempore omittebatur.

Quod autem iam prisco tempore, si recte[1]) se habet qui legitur apud Plautum locus: Asin. 52 „equidem scio iam filius *quod* amet meus istanc meretricem", hic usus invenitur, concludimus haud ignotam sed sermonis plebei fuisse hanc structuram ideoque semper repudiatam ab elegantioribus scriptoribus. Nusquam enim deinde usque ad imperatoris Augusti tempus huiusmodi exemplum legitur praeter unum illud belli Hispaniensis (36, 1: legati renuntiarunt, *quod* Pompeium . . . haberent) — illorum duorum, quos Köhler affert l. c. p. 77 locorum primus (18, 5) dubia est codicum auctoritate, alter (10, 2: suo loco praeteritum est, *quod* equites . . . venissent) non huc pertinet (v. Kühner p. 838, d) —, cuius auctorem constat multum recessisse ab elegantiore dicendi genere. Inde ab ea aetate quo magis scriptor accederet ad sermonem vulgarem, eo crebrius utebatur pro infinitivo c. acc. particulae *quod* structura et primo quidem raro: Val. Max. 4. 4, 9; Mart. 11, 64; Petr. 131; Suet. Tit. 8, Claud. 29.; e poëtarum numero Vergilius solus unum locum praebet: Aen. 9, 289. Ceterorum locorum alteros ut Phaedr. 5. 2, 13; Liv. 3. 52, 2. 42. 33, 4 incertos praebent codices, alteros ut Caes. b. c. 1. 23, 3; Liv. 39. 39, 6; 45. 41, 1; 38. 49, 10; Tac. ann. 3, 54; 14, 6 aliter et quidem simplici modo nonnullos homines docti interpretantur.

Saepius iam haec structura adhibetur post Suetonii tempus ab Apuleio, Gellio, Justino, aliis rerum scriptoribus, saepissime vero a scriptoribus Historiae Augustae, qui fuerunt Diocletiani et Constantini aetate.

Ji, quos adhuc enumeravi, scriptores plerumque *coniunctivum* modum cum particula *quod* coniungebant, Ammianus vero, quam-

---

[1]) Mutata enim interpunctione sic legitur: equidem scio iam. Filius quod amet meus cet.; cf. etiam Kallenberg pag. 9.

quam in o. recta coniunctivi modi latissimam usurpationem sibi vindicabat eumque modum coniunctiones fere omnes sequentem faciebat,[1]) tamen Graecorum ὅτι coniunctionis usurpandae morem secutus, quique post eum Latine scripserunt, ut Priscianus et Augustinus, iam saepius *indicativo* quoque modo utebantur, et ille quidem crebrius quam coniunctivo.

Summatim igitur colligi potest *primum* hunc particulae „quod“ usum haud alienum esse a natura sermonis Latini neque, quamquam bene respondet Graecae illi structurae: λέγω ὅτι, οἶδα ὅτι, recte dici, id quod nonnulli censent, nihil aliud esse particulam *quod* quam ὅτι illud in linguam Latinam translatum e Graeco sermone, *deinde* hanc structuram fuisse sermonis vulgaris ideoque, cum reiecta esset ab elegantioribus scriptoribus, tum demum in litteras inrepsisse diffusiusque loco infinitivi c. acc. (de utriusque structurae discrimine v. Zumpt p. 558 sq.) adhiberi coepisse, cum scriptores ad vulgarem illum sermonem descenderent.

Scriptores ecclesiasticos solos constat inter omnes Graecum ὅτι accurate particula *„quod“* Latine vertisse[2]) (Kallenberg p. 11).

Videamus nunc, num certam rationem usurpandae particulae *quod* Ammianus secutus sit et quae sint leges ab eo servatae.

Cum eae tantum sententiae hic tractandae sint, quae orationis obl. sunt, eo magis miramur, quod scriptor — secutus hic quoque consuetudinem Graecam — saepius indicativum quam coniunctivum adhibebat. Idem summatim et in recta o. et in obliqua fieri pronuntiavit Ehrismann l. c. pag. 67 cum dicit: „Cum plerique eiusdem aetatis scriptores coniunctivo utantur, Ammianos multo saepius (75%) indicativum quam coniunctivum usurpat.“ Soliu so. obliquae a me circumscriptae sunt indicativi 40, coniunctivi 19 quod particulam sequentes.

Sequitur enim *„quod“* particulam

a) indicativus.

In universum valet hoc modo significari aliquid aut revera factum esse aut fore aut fore pro certo habuisse aut sic putari voluisse eos qui dicunt.

---

[1]) V. Ehrismann l. c. pag. 46 sqq.

[2]) In librorum sacrorum translatione, quae Vulgata vocatur, *quod* Graecum illud ὅτι esse etiam ab Haasio l. c. annot. 506 pag. 499 commemoratur.

Omissis iis enuntiatis, in quibus particula „*quod*“ sequitur verba accedendi, praetereundi (XXIX, 3, 9; XXXI, 14, 8), cet (v. supra pag. 40), cum non sit proprius Ammiani hic usus, ei, in quibus quod cum indicativo coniunctum inveniebam o. obliquae loci, dividi possunt in quattuor genera; et ea quidem sunt:[1])

1. enuntiata, in quibus partic. quod spectat ad praemissum pronomen demonstrativum; huius generis omnia fere exempla sunt:

XVI, 11, 13: *illud* tamen rumore iactabatur *quod* Julianus non levaturus incommoda Galliae electus est...

XVII, 4, 12: *id* sine modo strepebant *quod*... hunc (sc. obeliscum) recens advectum difficultate magnitudinis territus nec contrectare ausus est nec movere

XVIII, 4, 2: (Comitatensis fabrica).... *haec* saepe taliaque replicans *quod* interempto Silvano quasi penuria meliorum ad tuendas partes eoas denuo missus altius anhelabat.

XXII, 11, 6: dicebatur *id*... docuisse Constantium, *quod* in urbe praedicta aedificia cuncta... emolumentis aerarii proficere debent ex iure; XXII, 15, 8.

XXIII, 5, 11: (philosophi) *id* praetendebant, *quod* et Maximiano antehac Caesari... leo et aper ingens trucidati simul oblati sunt, et superata gente discessit incolumis

XXV, 4, 3: (Bacchylidem) legebat ... *id* adserentem *quod* ut egregius pictor vultum speciosum effingit, ita pudicitia celsius consurgentem vitam exornat.

XXV, 10, 6: aperiunt textum *hinc*... exorsi, *quod* Lucillianus... effuso cursu petierat Remos

XXVII, 7, 4: definiunt... *id* adserentes *quod* iracundiores sunt incolumibus languidi, et feminae maribus, et iuvenibus senes, cet.

XXX, 8, 8: Aurelianum purgare temptabant *id* adfirmando *quod*, ut ille... ferebatur in divites, ita hic quoque... crudelitati cupiditatem opes nimias congerendi miscebat:

2. eae sententiae, in quibus Ammianus post „quod“ pro coniunctivo modo posuit futuri indicativum, praemisso vel omisso pronomine demonstrativo aut substantivo; quod iam minus miramur, quoniam, ut supra commemoravi, post verba promittendi quoque legitur

---

1) Permulta, sed non omnia exempla collegit Kallenberg p. 13 sq.

„quod“ cum futuri indicativo coniunctum. (Cf. etiam XV, 5, 6; XXI, 13, 15; XXIX, 3, 7; XXX, 1, 22.) Loci sunt:

XIV, 7, 5: Theophilum... multitudini dedit *id* assidue replicando *quod* invito rectore nullus egere *poterit* victu.

XIV, 11, 6: *spe* tamen *quod* eum lenire *poterit*[1])

[XV, 5, 7: testabatur enim *id* se procul dubio scire *quod,* siqui mitteretur externus,... Silvanus... conposita forte *turbabit.*[2]) (V. ceterum de hoc loco infra p. 50)]

XIX, 9, 5: accepta *fide quod,* si tuto licuerit, *sequetur* coniugem libens

XIX, 11, 7: (aviditatem).... adulatorum cohors augebat *id* sine modo strepentium, *quod*... proletarios *lucrabitur* plures et tirocinia cogere *poterit* validissima.

XXIII, 5, 21: sciens, *quod,* si (G, om. V.) remanserit quisquam, exsectis cruribus *relinquetur*

XXIV, 7, 5: monstraret perspicua veritas, *quod*... ad aquas redire non *poterit* miles

XXV, 2, 7: *id* relatum esse monstrantes, *quod*... committi proelium vel simile quicquam non *oportebit.*

XXVI, 4, 6: iniuste causando *quod* post Joviani excessum... nihil obstare *debebit*

XXX, 1, 4: ne odio Parae *spe*que *quod revertetur,* natio... deficeret ad iura Persarum

XXX, 1, 17: addentes *quod*... tristes sollicitudines, si (G, om. V A) huic inrisioni superfuerit, *excitabit.*

XXX, 5, 17: ut *omen colligeret, quod* cito *remeabit* ad Gallias

XIX, 11, 2: gemina *consideratione* alacrior *quod* expletus praedarum opimitate exercitus... similium spe fidenter in effectus *animabitur* prosperos

His exemplis liceat addere

XXV, 8, 14: *spe*... sustentari potuerunt exigua, hac scilicet, *quod* velut suopte motu vel exoratus eorum precibus imperator eodem statu *retinebit* urbem.

Quamquam enim *quod* particulam edd. G A solae praebent, tamen recipiendum esse conceditur; nam primum certum est alqd.

---

1) cf. Kellerbauer, Bl. f. d. bayer. Gymnas. cet. B. IX, p. 82: *poterit* legendum esse monstrat pro *poterat* codd.; item XVI, 12, 14: *putabit* pro *putavit;* v. XXX, 1, 4: spe... quod revertetur.

2) V. Ehrismann l. c. pag. 45.

intercidisse, altera autem lectio nullo codice exhibetur, deinde *„quod“*, cum idem insit in ed. Geleniana, ex libro Hersfeldensi manasse videtur. (v. Mommsen, Herm. VI., p. 233, Gardthausen, praef. p. XX.)

Indicativum cum *quod* coniunctum vel praesentis vel praeteriti temporis praebent

3. ea enuntiata, in quibus substantivi antecedentis, quod est pro verbo sentiendi vel dicendi, argumentum exponitur; praeter eos locos, qui propter futurum verbi tempus iam sub 2) prolati sunt (XIV, 11, 6; XIX, 9, 5; XIX, 11, 2; XXV, 8, 14; XXX, 1, 4; XXX, 5, 17) adnotandi sunt:

XIX, 11, 2: ad procinctum egressus est gemina *consideratione* alacrior, ... *quod* Anatolio regente tunc per Illyricum praefecturam necessaria cuncta vel ante tempus coacta ... *adfluebant*

XX, 7, 9: perstrinxit *suspicio* vana episcopum, ... *quod* clandestino conloquio Saporem *docuerat,* ...

XXII, 15, 7: *opinio* est ... *quod* (Nilus) spirantibus prodromis ... *intumescit.*

XXXI, 3, 8: *fama* serpente, quod invisitatum antehac hominum genus ... ex abdito sinu coortum adposita quaeque *convellit et corrumpit.*

Ann. Unum invenvi locum, quo substantivi e verbo dicendi pendentis argumentum explicatur sententia a particula *„quod“* incipiente; qui est

XIV, 11, 10: subserebat non adeo vetus *exemplum quod* Diocletiano et eius collegae ut apparitores Caesares non resides, sed ultro citroque discurrentes *obtemperabant* et in Syria Augusti vehiculum ... *antegressus est* Galerius purpuratus.

Indicativo modo cum particula *quod* coniuncto adnectuntur denique *dicendi* tantum verbis:

4. ea enuntiata, quibus nec substantivo nec pronomine praemisso aliquid revera factum esse narratur (= ὅτι c. indicativo coninunctum):

XVIII, 6, 16: docet *quod* apud Parisios natus in Galliis ... ad Persas *abierat* profugus

XIX, 12, 10: saepe auditus (est) retulisse *quod,* cum Patras ... relinqueret, per quietem deducentia se habitus tragici figmenta *viderat* multa

XXIX, 2, 17: confessum, *quod*... de imperii permutatione consulere *ausus est*

XXXI, 9, 1: (sequebantur) docti *quod* Gratiani monitu reversus in Thracias... eventus rerum *speculabatur* ancipites.

Unus tantum his adiciatur locus, quo fictam rem Ammianus aliquem facit pronuntiantem ita tamen, ut eundem pro certo eam habentem inducat, quam ob rem hic quoque adhibitus est indicativus modus; qui locus est

XVI, 9, 4: Tamsapor... refert ad regem, *quod* bellis acerrimis Constantius inplicatus pacem *postulat* precativam (Tamsaporem enim e contextu rerum apparet ipsum credidisse Constantium pacem desiderare).

In his omnibus igitur, quae adhuc protuli, exemplis valere cognoscimus certam illam, quam supra proposui (pag. 73), indicativi usurpandi rationem.

Sed duobus locis etiam cum is, qui dicit, ipse aliquid fuisse fingat, indic. modus adhibitus invenitur, ut valde miremur coniunctivum non positum esse, quo ad fictas res significandas usum esse hunc scriptorem infra demonstrabo. Sed his locis cum fictio verbis „fingere, praetendens" iam satis expressa sit, altera eius significatio non opus erat. Haec duo exempla sunt:

XVI, 8, 4: suasit... fingere *quod* velamen purpureum a Diocletiani sepulcro furatus quibusdam consciis *occultabat*.

XXII, 3, 8: absque conscientia sua hominem adfirmabat occisum, praetendes, *quod* eum militaris ira *delevit*...[1])

Magis etiam eo offendimur, quod ex uno eodemque verbo et indicativus et coniunctivus modus pendent, id quod item cernitur apud *Augustinum*, civ. dei (Dombart[2]) II pag. 272, 15 sq.: (fabulaeque fictae sunt) de Gorgone, *quod fuerit* crinita serpentibus et aspicientes *convertebat* in lapides.

Ex Ammiani libris huc pertinent:

XIV, 11, 7: ad hoc unum mentem sollicitam dirigebat, *quod* Constantius... nec satisfactionem *suscipiet* aliquam nec erratis *ignoscet*, sed laqueos ei latenter obtendens, si cepisset incantum, morte *multaret*.

---

[1]) Hoc „quod" conferri potest cum Graeco illo „ὅτι", quo interpunctionis loco *recta* oratio saepe indicabatur.

Coniunctivum „*multaret*“ ut poneret Ammianus sine dubio adductus est primum sensu condicionali, ut accuratius infra exponam, deinde studio modorum varietatis, quam vehementer appeti ab eo Ehrismann demonstravit l. c. pag. 43 sq.; nam in multaret „quoque“ notionem futuri inesse Ehrismanno (pag. 29 ann.) assentior, quare ad premendam futuri notionem „multabit“ poni debuit. Ad hoc enim tempus indicandum indicativus futuri usurpatus est, cum coniunctivi imperfecto praesens tempus significetur, loco:

XXI, 7, 3: cuncta consideratione gemina efficere posse sperabat, *quod* adversam partem *metueret* offensam et *properabit*... commendari Constantio; et, si Ehrismanni coniectura (p. 45) recepta erit,

XIV, 11, 11: qui eum... pellexit... replicando *quod*... eum videre frater *cuperet* patruelis... participemque eum suae maiestatis *adsciscet* (adsciso et V, adsciseeret C. F. W. Müller). Haec emendatio et per se ipsa simplicissima et facilior est quam illa Muelleri et ea re fulcitur, quod nullo loco plures coniunctivi unam eandemque particulam „quod“ sequuntur.

Nulla autem ratione mihi contigit explorare, qua de causa transierit oratio ex indicativo in coniunctivum modum:

XXIX, 2, 12: nec... repressius actum est vel prudenter, non reputante alta nimium potestate, *quod*... ne cum inimicorum quidem incommodis in delicta *convenit* ruere voluntaria, nihilque *sit* tam «iniquum» quam ad ardua imperii supercilia etiam acerbitatem naturae adiungi.

Eadem licentia, qua usus scriptor hic in modis adhibendis ex uno in alterum transibat, uni eidemque verbo dicendi, id quod semel fit, particulae *quod* et infinitivi c. acc. structuram adnectit. Ut enim in recta o. scribit

XXV, 9, 9: „numquam inveniri potest *pars ulla* hosti *concessa*, sed ne... quidem... triumphales glorias fuisse *delatas*“, ita legitur in o. o.:

XVIII, 6, 16: docet... *quod*... ad Persas *abierat* profugus, exindeque... speculatorem se missum ad nostra, saepe veros nuntios *reportasse*, at nunc *se* a Tamsapore et Nohodare

optimatibus missum .... ad eos *redire* quae didicerat perlaturum.

Hunc eundem locum Ehrismann exhibet l. c. p. 67. Ceteri autem loci, quos enumerat, non pariter se habent atque hic, id quod intellegendum esse possis concludere et ex verbis exempla antecedentibus („non raro in eodem verborum ambitu primum accusativum c. inf., deinde particulam quod vel inverso ordine primum particulam quod, deinde accusativum c. inf., ut similitudinem, satietatis matrem, vitaret, usurpavit“) et ex primo illo exemplo. Cum enim in hoc duae structurae sint coordinatae, quae dicuntur, ceterorum in parte constructio altera ex altero verbo dicendi pendet, ut ἐπανάληψις quae vocatur eius qui dicit personae fiat, velut 30. 6, 2; 30. 1, 17; 29. 2, 9; 25. 3, 15; 22, 2, 1; 14. 11, 22, in parte acc. c. inf. ex enuntiato pendet a particula quod incipiente id quod est 25. 4, 2, vel vice versa „quod“ aptum est ex accusativi c. inf. structura, ut 28. 6, 19; 24. 6, 5; 24. 1, 10; 15. 5, 7.

Simili ratione duplicem structuram e verbo sentiendi aptam facit Augustinus, civ. dei II, 29: (angelus) sermocinatus est feminae .... non existimans virum facile credulum nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori (= sed alieno cessurum errori).

Satis mihi iam videor demonstrasse Ammianum consuevisse indic. modum particulae *quod* adiungere, ut res aut *esse certas* aut *sic existimandas esse* e cogitatione loquentis significaret. In dubiis autem et fictis rebus enarrandis illam particulam sequitur

b) **coniunctivus** modus. Multa huius generis exempla Kallenbergus exhibet pag. 15, qui idem iam perspexit particulam *quod* nusquam coniunctivo adiungi posse, nisi tempus praeteritum antecedat, id quod ab Ehrismanno quoque l. c. pag. 67 conceditur. Ex illis exemplis quae o. obliquae sunt a me circumscriptae iis addam, quae in hac ipse reperiebam. Haec quoque omnia dividi possunt in 4 genera; legitur enim post *„quod“* particulam coniunctivus

1. cum ea enuntiatio, quae incipit ab hac particula, eadem est apodosis sententiae condicionalis,[1]) velut

XIV, 11, 7: v. pag. 45.

XX. 4, 8: adiectum est *quod,* si procursare dissimulasset, ipse propria sponte *proiceret* insignia principatus

[1]) De universo sentent. condicionalium usu Ammianeo v. Dederichs l. c. pag. 5—21.

XX, 9, 9: erat suspicio *quod,* si haec trans mare didicisset, novarum rerum materias *excitaret*

XXIX, 6, 3: addebat .... *quod,* si parvo suo Marcelliano deferretur potestas per Valeriam ducis, munimentum absque ulla causatione *consurgeret.*

Non expresse, sed implicite extat sensus condicionalis

XIX, 1, 4: caeleste numen .... adegerat in immensum se extollentem credentemque, *quod* viso statim obsessi omnes metu exanimati supplices *venirent* in preces (= si se vidissent — obsessi venirent)[1])

2. cum ea, quae quis dicit, aut ficta sunt, ut

XIV, 11, 11: eum proficisci pellexit .... replicando *quod* .... eum videre frater *cuperet* patruelis (in enuntiatio sequenti variationis causa et propter sensum condicionalem, quamquam res ficta adsciscendi verbo hic significatur, *adsciscet* legendum esse supra demonstravimus.

XVI, 6, 1: instabat ei strepens .... et arguens coram, *quod* a gregario ad magnum militiae culmen evectus .... locum *adpeteret* principalem

XXX, 4, 2: Modesto .... adserente, *quod* infra imperiale columen causarum *essent* minutiae privatarum, ille .... abstinuit.

aut dubia utrum vera sint necne, velut

XIX, 11, 13: audito, *quod* ad ultimum paene tractus exitium in abrupto *staret* adhuc imperator .... exercitus .... semet inmersit

XXII, 2, 1: advenere .... legati .... nuntiantes, addentesque *quod* eum voce suprema successorem suae *fecerit* potestatis

XXII, 6, 3: iussit transire Chalcedona, pollicitus *quod* ipse quoque protinus *veniret*[2])

XXIV, 8, 6: arbitrabantur ... adventare iam nostros rumoribus percitos, *quod* imperator Ctesiphonta magnis viribus *oppugnaret*

XXVIII, 1, 19: proditus *quod* .... ad sacrificandum ab eodem *esset* adscitus Hymetio .... pertinaci negabat instantia

XXIX, 2, 9: Eusebium et Hypatium ... detulit, addens .... *quod* Eusebio etiam principalia indumenta *parata sint*

---

1) De hoc loco cfr. Ehrismann pag. 29.

2) De hoc imperfecto coniunctivi pro futuro rectae orationis cf. Ehrismann pag. 29.

3. cum id agitur, ut aliquid fieri permittatur; vis enim quaedam finalis inest in partic. *„quod“*:

XX, 7, 7: accepta fide *quod* redire *permitteretur* incolumis .... ad tentoria accessit.

Eum sensum hoc loco latere ex eo concluditur, quod in omnibus enuntiatis, quibus substantivi antecedentis argumentum simpliciter exponitur usurpari solet, exceptis scilicet enunt. condicionalibus, indicativus modus; id affirmatur comparatione habita cum XIX, 9, 5: accepta fide quod .... sequetur

4. nulla alia ex causa, quam ut ratio obliqua significetur, ad aliarum sententiarum secundariarum modum coniunctivus antecedente praeterito tempore post „quod“ positus esse videtur et quidem

α) praemisso pronomine demonstrativo

XIV, 11, 22: *hac*tenus valuit loqui *quod* plerosque incitante coniuge *iugulaverit*

XXV, 4, 2: legitur Sophoclem .... interrogatum .... *id* adiecisse, *quod gauderet* harum rerum amorem ut rabiosum quendam effugisse dominum

XXV, 10, 16: dicebatur ... Varronianus ... praescisse quod evenit idque duobus amicis commisisse *illo* adiecto *quod* ipsi quoque *deferretur* trabea consularis

(Quae tria exempla sola praemisso pronomini demonstrativo coniunctivo modo adiuncta sunt.)

β) omisso pronomine demonstrativo:

XXI, 13, 7: solacio uno sustentabatur, *quod* .... *superaverit* motus

XXI, 14, 2: confessus est .... *quod* tamquam desolatus secretum aliquid videre *desierit*

XXII, 4, 6: cum scriptum sit, ... *quod* procinctus tempore *ausus sit* videri

XXIV, 6, 5: naves .... conflagrassent, ni .... imperator signum sibi datum nostros, *quod* margines iam *tenerent* ... erexisse proclamans ... adegisset

XXVIII, 6, 19: se quoque mox referre firmavit, *quod* missus .... donativum militis omne in quaestus *averterit* proprios.

Ehrismannus et ipse, cum tractaret de temporum usu in huiusmodi sententiis, locos collegit (pag. 68), quibus particulam *quod* coniunctivus sequitur. Cum autem non omnes l. enumerasse profiteatur, praetermisit XVI, 6, 1; XIX, 1, 4; XXV, 10, 16; XXVIII, 1, 19;

XXX, 4, 2. Contra ex iis, quos citavit, 17. 1, 12; 20. 8, 22; 21. 7, 3; 21. 10, 2; 24. 7, 3 ad hanc o. o. non pertinent, 24. 7, 5 omnino caret coniunctivo modo („quod .... ad aquas redire non poterit miles"). Sed quae de temporum usu se observasse dicit, omnia mihi probantur praeter id quod Ammianum perfecti coniunctivo usum esse contendit tum, cum in directa oratione tempus praeteritum ponendum esset. Nam huic legi repugnat quod supra attuli exemplum XXVIII, 1, 19.

Locos igitur illos 21 o. obliquae, quibus coniunctivus modus cum *quod* particula coniunctus est, considerantes et comparantes docemur *primum* Kallenbergi illud praeceptum (l. c. p. 16 infra) firmari, *deinde* imperfecti coniunctivum esse plerumque pro futuri, rarius praesentis indicativo o. rectae, uno loco (XXIX, 2, 9) retentum esse praesens tempus,[1]) *tum* pro plusquamperfecti coniunctivo, excepto uno loco (XXVIII, 1, 19) positum esse perfecti coniunctivum, sed in tali tantum causa, in qua, si esset o. recta, perfectum praesens positum esset, idque semper factum esse; nam loco „adscitus esset" (XXVIII, 1, 19) in o. recta ponendum est perfectum quod dicitur historicum.

Illud praeceptum, quod Ammianum secutum esse equidem supra (pag. 47) contendi, particulam *quod* coniungi solere cum coniunctivo, cum sententia sit apodosis enuntiati condicionalis, tolli videtur loco XV, 5, 7: testabatur .... id se procul dubio scire *quod,* siqui

mitteretur externus, suopte ingenio Silvanus .... timidior conposita forte turbabit.[2])

Sed facile intellegitur scriptorem et illo „procul dubio" et hoc indicativo modo significare voluisse, quantopere persuasum habuerit certoque sciverit Malarichus ea, quae fore praedixerat, eventura esse. Atque hunc indicativum recte legi, quamquam G *turbaret* praebet, his paucis apparebit. Gelenium enim fere certum est invenisse in cod. Hersfeldensi „turbauit", quia V idem exhibet, et id, cum in sensum non quadraret, ex usitata struendae o. obliquae ratione mutavisse in „turbaret". Sic rem se habere etiam probabilius fit et maxima similitudine, quae extat in litterarum v et b scribendarum usu et eis, quibus Gelenium in curanda editione pres-

1) Altero l. id factum esse videas pag. 51: XXX, 2, 4.

2) turbauit V turbaret G.

sum esse Nissenus (fragm. Marburg. pag. 25) contendit angustiis temporis, quibus impeditus est, quominus quo modo in ceteris huius modi locis Ammianus usus esset accuratius exploraret. Praeterea hoc exemplo probatur recte iudicari a Nisseno (l. c. pag. 28 sq.) editione Geleniana minime meram praeberi codicis Hersfeldensis lectionem sed eum (Gelenium) magna ex parte secutum esse edd. Erasmi [1]) et Accursii (Nissen l. c. pag. 25), multa mutasse et addidisse e cod. Hersfeldensi, multa ipsum coniecisse.

Singularis denique est coniunctivus loco:

XXX, 2, 4: (imperator) Victorem magistrum equitum et Urbicium ... ire propere iussit in Persas responsum perferentes: *quod* rex iustus et suo contentus, ut iactitabat, sceleste *concupiscat* Armeniam ...

(sequuntur indicativi: reverterint, complebit, supersedit).

Quem locum Kallenbergus quoque protulit pag. 18, sed nihil aliud annotavit quam Ammianum, cum Graeci ὅτι antecedente o. indirectam ὅτι omisso indicativo aut optativo aut infinitivo continuarent, omnes has structuras sequi.

Mirus autem est praeter indicativos modos insequentes, de quibus sane recte iudicatum est a Kallenbergo, tempus *praesens* in verbo *„concupiscat"*.[2]) Collatis cum hoc loco XXIX, 2, 9 et XXIX, 2, 12 cognoscitur Ammianum in exprimendis iis rebus, quae ad praesens loquentis tempus spectant, etiam in o. o. interdum retinuisse praesens tempus in usurpando coniunctivo, quamquam antecedit tempus praeteritum, id quod in adhibendo indicativo saepissime reperitur. (De indicativis insequentibus v. infra pag. 68).

De consecutione temporum

liceat breviter id commemorare quod verbi, e quo pendet sententia a particula *quod* ordiens,

a) praeteritum tempus sequitur imperfectum: *quinquies decies*
b) praeteritum tempus perfecti coniunctivus: *quater* (XIV, 11, 22; XXI, 14, 2; XXII, 2, 1; XXVIII, 6, 19, quibus locis omnibus res gestae narrantur)
c) praeteritum tempus praesens coniunctivi: *ter* (XXIX, 2, 9; 2, 12; XXX, 2, 4).

---

1) Mommsen, Herm. VI, pag. 236 sq.

2) V. etiam Ehrismann l. c. pag. 68, ubi hoc unum exemplum proponitur.

Plerumque igitur consecutionis temporum leges servabat, repraesentationis autem caussa, cum omnino ea saepissime uteretur (Ehrismann l. c. pag. 16—22), in hac quoque re nonnunquam ab usu vulgari recessit.

Omnium quas adhuc contuli sententiarum particula *quod* verbis sentiendi cet. adnexarum comparatione habita apparet scriptorem in ipsa o. o. longe praetulisse indicativum modum, secutum scilicet ut in temporum saepe sic in modorum usu Graecorum consuetudinem.

Sic igitur absolutis enuntiativis sententiis brevis erit quaestio de ceteris sententiarum primariarum generibus; agetur autem deinceps

2. de sententiis primariis imperativis.

Eas sententias primarias, quibus voluntatis actio (consilium, optatio, hortatio, postulatio cet.) exprimitur, in coniunctivo ponendas esse omnes grammatici consentiunt, de ponenda particula *„ut"* non item (v. Andersson, pag. 45 sq.). Contendunt enim alii tum tantum poni debere, cum ab eo tota incipiat o. o., alii ubique docent posse usurpari, sed non solere, alii semper fere omitti monent, cum antegressa sit sententia acc. c. inf. constructa. — Ne particulam post verba affirmantia prohibitoriam nusquam in o. o. omitti et omnes grammatici consentiunt et Ammiani usu docetur.

Apud Ammianum *omissi „ut"* quattuor exempla sunt: XVII, 10, 4: quas si non ostendisset..., *sciret* se cet.

XX, 5, 9: obsecravere Petulantes et Celtae, recturi, quas placuisset provincias, *mitterentur*

XXVI, 6, 2: mandarat... pro cognitorum *ageret* textu, et... imperatorem ipse se *provideret* ocius nuncupari

XXVIII, 6, 28: cognovit ipsum· suasisse civibus, *gravarent* mentiendo legatos.

Nihil his locis apparet abhorrere a sermone latino.

Particula *„ut"* inducuntur sententiae imperativae circiter 68.

Huc enim referenda esse censebam etiam ea enuntiata, quae apta sunt ex ipsis verbis hortandi, imperandi, orandi cet., quum, quamquam nihil aliud sunt quam enuntiata finalia, iis exprima-

tur hortantis cet. cogitatio, ut continere videantur vim quandam obliquam.

De consecutione temporum, q. d., cum praeceptum sit ponendum esse imperfectum, sed post praesens historicum adhiberi posse praesens, in Ammiani libris talis servata est temp. consecutio:

I. Sequitur *imperfecti* coniunctivus

a) praeteritum tempus duodesexagies et quidem:

XV, 5, 10 I $\frac{55}{14}$; XVI, 9, 3 I $\frac{90}{20}$; XVII, 10, 4 I $\frac{131}{12}$; XVIII, 2, 8 I $\frac{148}{26}$; 2, 9 I $\frac{148}{31}$; 2, 11 I $\frac{149}{10}$; 3, 2 I $\frac{151}{26}$; 3, 7 I $\frac{152}{22}$; 6, 1 I $\frac{157}{5}$; XIX, 1, 6 I $\frac{170}{16}$; 3, 1 I $\frac{174}{22}$; 6, 7 I $\frac{179}{25}$; 9, 4 I $\frac{186}{2}$; 9, 5 I $\frac{186}{11}$; XX, 4, 8 I $\frac{202}{29}$; 4, 12 I $\frac{204}{1}$; 7, 3 I $\frac{211}{4}$; 11, 1 I $\frac{221}{19}$; XXI, 3, 4 I $\frac{234}{23}$; 4, 2 I $\frac{235}{14}$; 5, 12 I $\frac{239}{2}$; 8, 4 I $\frac{243}{14}$; 13, 3 I $\frac{254}{4}$; XXII, 3, 12 I $\frac{269}{11}$; 5, 3 I $\frac{271}{15}$; 6, 4 I $\frac{272}{14}$; 7, 8 I $\frac{274}{3}$; XXII, 14, 4 I $\frac{295}{13}$; XXIII, 2, 2 I $\frac{309}{11}$; 2, 4 I $\frac{309}{27}$; 3, 5 I $\frac{311}{17}$; 5, 4 I $\frac{316}{19}$; XXV, 3, 5 II $\frac{35}{26}$; 6, 12 II $\frac{48}{17}$; 8, 9 II $\frac{53}{16}$; 8, 10 II $\frac{53}{24}$; 8, 17 II $\frac{55}{10}$; 9, 2 II $\frac{55}{29}$; 10, 9 II $\frac{60}{15}$; XXVI, 2, 1 II $\frac{66}{10}$; 5, 12 II $\frac{73}{9,\ 12}$; 9, 5 II $\frac{87}{30}$; XXVII, 12, 5 II $\frac{121}{28}$; 12, 16 II $\frac{124}{9}$; XXVIII, 1, 20 II $\frac{129}{25}$; 2, 5 II $\frac{139}{1}$; 2, 7 II $\frac{139}{8}$; 5, 10 II $\frac{153}{14}$; XXIX, 4, 5 II $\frac{181}{20}$; XXX, 1, 6 II $\frac{201}{14}$; 2, 2 II $\frac{205}{10}$; 5, 1 II $\frac{214}{23}$; 5, 12 II $\frac{217}{9}$; XXXI, 4, 12 II $\frac{242}{10}$; 6, 4 II $\frac{247}{10}$; 12, 5 II $\frac{262}{8}$; 12, 8 II $\frac{262}{26}$.

His locis etiam adiungendus est singularis ille:

XX, 4, 4: Conticuit hisque adquieverat Julianus ... illud tamen nec dissimulare potuit nec silere: *ut* illi nullas *paterentur* molestias, qui ... sub hoc venerant pacto, ne ducerentur ...

Sensus est huius loci: *illud non potuit silere Julianus* (= praetermittere non potuit) *quod illos nollet pati ullas molestias.* Recta enim dicendi forma si usus esset Ammianus, scribendum ei fuit sic: „Nullas patiuntor illi molestias cet. = *ut* nullas (ne ullas) *patiantur* molestias cet.,“ quam particulae *ut* in o. r. structuram legi docet Kühner pag. 141, Anm. apud eos scriptores, qui fuerunt ante Ciceronem, creberrime apud Catonem. In conformanda deinde oratione obliqua propter antecedens praeteritum tempus *potuit* adhibuit Amm. imperfecti coniunctivum: *paterentur.* Pronomine autem „*nullas*“ pro „*ne nullas*“ posito maxime premere voluisse scriptor negationem videtur. [Ceterum haud negem in interpretandis verbis: nec potuit *silere ut* ... *paterentur,* non omnem sublatam esse difficultatem.]

Imperfecti coniunctivus sequitur

b) praesens tempus (octies)

XX, 5, 1 I $\frac{206}{18}$; XXI, 15, 4 I $\frac{259}{14}$: XXII, 15, 24 I $\frac{300}{28}$; XXV, 10, 9 II $\frac{60}{14}$; XXVIII, 1, 24 II $\frac{130}{32}$ (et praesentis et imperfecti coniunctivus); 6, 8 II $\frac{156}{2}$; XXIX, 3, 7 II $\frac{179}{16}$; 5, 51 II $\frac{194}{2}$.

II. Sequitur *praesentis* coniunctivus:

praeteritum

XX, 4, 15 I $\frac{204}{23}$ *resistebat*... obsecrans, *ne* post multas felicissimasque victorias *agatur* aliquid indecorum, *neve* intempestiva temeritas et prolapsio discordiarum materias *excitaret.*

Verbi „*agatur*" praesenti tempore Ammianus usus e cogitatione loquentis significat ad praesens loquentis tempus id spectare quod fieri iussit Julianus h. e. *ilico* evitari facinus indecorum; imperfectum autem verbi „*excitaret*" tempus, item positum e cogitatione loquentis, ad ea pertinet quae, si commissum esset illud facinus, inde manatura essent.

XXIX, 5, 48: *visus est* Firmus... hortari, *ut dedant* Theodosium oportune,...

Quem locum etiam Dederichs affert p. 7; sine dubio hoc praesens t. positum est et ipsum e cogitatione Firmi (o. r.: dedite).

Huiusmodi temporum consecutionis exempla cum iam apud priores scriptores inveniantur (Caes. b. G. V, 41), apparet tota hac re Ammianum non tam abhorrere a prioribus scriptoribus, quam hanc licentiam crebrius sibi vindicasse, qua re sane depravatio sermonis Latini significatur.

Ann. Maxime igitur miramur quod extat XVII, 3, 5: „*monitus non agere* (= ne ageret) ita perplexe, ut videretur parum Florentio credi, rescripsit...;" cuius generis alterum exemplum nusquam inveniebam.

Denique paucis disserendum est

3. de sententiis primariis interrogativis.

De interrogationibus in o. o. varia sunt quae docent viri rei grammaticae peritissimi: *veteres grammatici et Madvigius*[1]) volunt

[1]) Eum secutus est Kühner § 238, c.

interrogationes primae et tertiae personae structas infinitivo c. acc., secundae coniunctivo; *Kruegerus, Krebsius, Zumptius alii* praecipiunt rhetoricas, quas vocant, exigere infinitivum c. acc., imperativas coniunctivum (Andersson p. 47 sq.).

In Ammiani libris cum propriae, ut ita dicam, et continuatae o. obliquae paucissima exempla reperiantur, non miramur, quod exceptis interrogationibus indirectis, quas praeterire in hac commentatione, cum iam in o. recta eandem formam habeant, supra institui, unum tantum exemplum nobis occurrit; quod est;

XXI, 1, 13: vanities aliquotiens plebeia strepit, haec inperite mussando, si esset praesentiendi notitia quaedam, cur ille se casurum in bello vel alius hoc se passurum *ignoravit* aut illud...

Ab utroque illo praecepto intellegimus Ammianum penitus recessisse. Definitum enim indicativi usum praefert Graecorum consuetudini propiorem, quem eundem in indirectis q. d. interrogationibus formandis saepe adhibuissi[1]) supra (pag. 8) exposui, et multifariam in orationis obl. sententiis secundariis, id quod infra magis expediam.

In universum iudicantes ea quae prolata sunt de sententiis primariis in o. o. haec tria concludimus: *primum* scriptorem in struendis his sententiis certas leges minime sprevisse, *deinde* Ammiani usum maxime in *enuntiativis* sententiis conformandis abhorrere a prioribus scriptoribus neque tamen ita, ut prorsus alienus sit a natura sermonis latini, *denique* in usurpando indicativo modo post particulam *quod* eum propius quam priores scriptores accessisse ad Graecorum consuetudinem.

B.

De sententiis secundariis.

Coniunctivo modo in o. o. struendas esse omnes grammatici praecipiunt eas enuntiationes, quae aut a pronomine relativo incipiunt aut inducuntur particulis „quod, quia, ubi, postquam, priusquam, quamquam cet.“ aut quae protasin indicant, cum inseruntur

---

[1]) Cf. Draeger II, p. 475.

ab eo, cuius refertur oratio. (Andersson p. 54 sqq.; Kühner § 239; Zumpt § 603; Draeger p. 442 sqq.)

In *indicativo* ut ponantur eae sententiae secundariae vulgaris lex est grammaticorum, quas ad instituendos eos qui legant scriptor ipse inserit orationi obliquae. Praeterea etiam eas sententias *Kruegerus* § 652, 2 exponit interdum indicativo modo adnecti, quae aptae sint e cogitatione loquentis, atque id fieri demonstrat, ut significetur non solum e cogitatione loquentis manare ea, quae proferuntur, sed per se esse certa aut revera gesta. Subtilius de hac re agit Ramshorn [1]) p. 795, cum dicit: „Den Indicativ braucht der Erzähler in allen Nebensätzen, deren Inhalt er nicht als Gedanken, sondern als Thatsache darstellen will, nämlich a) bei eigenen Bemerkungen u. s. w.; b) bei Umschreibungen einzelner Begriffe und bei summarischer Angabe [2]) der Rede eines Anderen; c) bei solchen Sätzen, die zwar als Meinung des Redenden zu nehmen sind, worin er aber zugleich wirkliche Thatsachen als solche bezeichnet und daher auch ihr Tempus von seiner Gegenwart aus bestimmt; d) wenn der Konjunktiv dem Ausdrucke des Redenden einen andern Sinn geben, oder die lebhaftere Vorstellung desselben in der Seele des Lesers schwächen würde.“ Haec locis comprobat cum e Cicerone et Sallustio allatis tum e Caesare et Livio et hi quidem sunt longe plurimi (Kühnast p. 235). Etiam plura exempla collecta leguntur apud Draegerum p. 442 sqq. Dicit deinde p. 444, 3: „Ausserdem gibt es eine erhebliche Anzahl von Stellen, in welchen die Beibehaltung des Indikativs der direkten Rede entweder handschriftlich unsicher oder ganz abnorm ist.“ Sed in omnes fere locos, quos deinceps enumerat Catonis, Plauti, Sallusti, Livi, Curti, Taciti, Suetoni, Ramshorni illa praecepta quadrant. Justinus solus sine discrimine modo indicativo modo coniunctivo utebatur.[3])

Cum igitur minime ignota esset haec structura orationis obliquae in sermone Latino, facile intellegitur Ammianum eo libentius

---

[1]) L. Ramshorn, lat. Grammatik, Leipzig 1830.

[2]) cf. Haase ad Reisigium adn. 498.

[3]) De hac consuetudine indicativi modi pro coniunctivo in o. o. ponendi docet Hassenstein l. c. pag. 37: Graecum usum sequentes Livius, Tacitus, Justinus, saepissime Ammianus in enuntiatis minoribus o. o. indicativum ponunt pro coniunctivo, etiamsi ex loquentis, non scribentis sensu ea manare intellegendum est.

eam secutum esse, quod usitatissima in Graeco dicendi genere erat (cf. Kühner § 239, 1, A. 2, sq.). Atque etiam fugisse videtur necessitatem coniunctivi ponendi in o. o., cum in sua ipsius oratione eius usum creberrimum effecerit. (Ehrismann l. c. pag. 46.)

Rarissime enim Ammianus in compluribus o. obliquae enuntiatis secundariis inter se conexis ita utebatur coniuntivo, ut in quaque sententia eum retineret (velut XV, 5, 20 I $\frac{57}{20}$; XXV, 10, 3 II $\frac{58}{20}$;) sed varia ratione, ni fallor, coniunctivi usum evitabat. Nam praeterquam quod aut partim aut prorsus saepe transit ex obliqua forma dicendi in rectam, ut infra p. 117 sq. accuratius exponam,

loco coniunctivi ponendi verbum dicendi vel sentiendi iterat, velut:

XV, 3, 1: arcessebantur enim ministri fuisse Galli ferocientis perque eos Domitianus discerptus *credebatur* (pro: quod .... discerptus esset); item 5, 6.

XVIII, 6, 3: .... cuius rei prosperante deo ductorem commodissimum fore *spondebat* (pro: dux commodissimus esset v. futurus esset)

XXII, 15, 5: adfirmant aliqui .... magnitudines nivium congelascere, easque .... nubes efficere gravidas, quae .... incrementa ubertim suggerere Nilo *creduntur* (= suggerant); 15, 6 I $\frac{297}{15}$.

XXVI, 4, 6: rex manus Armeniis iniectabat .... causando quod .... nihil obstare debebit quominus ea recuperaret, quae antea ad maiores suos pertinuisse *monstrabat* (= pertinuissent)

XXVIII, 1, 37: remedium nullum .... superesse .... adseverabant, ni criminibus magnis petissent nobiles viros, quibus ad sui societatem adnexis facile eos absolvi posse *firmabant* (= possent)

XXX, 5, 2: respondit haec in locis, ubi *dicuntur* admissa (= admissa essent) quaerenda sc. esse, alias;[1]) (saepius horum verborum iteratio legitur apud infinitivi c. acc. quoque structuram, cf. supra pag. 12 sq.).

Priusquam accingor ad indicativi modi usurpationem explicandam exemplisque illustrandam, id praemoneam saepissime in

---

[1]) Coniunctivus idem vitatur quamquam rarius particulis „*quasi, velut cet.*“ cum participio coniunctis, ut XVI, 6, 1 I $\frac{84}{21}$.

huius scriptoris indicativi usu tam late diffuso difficillimum esse diiudicatu, utrum sententia sit orationis obl. an adnotatio scriptoris, velut:

XV, 9, 6: adseverant.... Amphitryonis filium Herculem ad Geryonis et Taurisci saevium tyrannorum perniciem festinasse, *quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat;* I $\frac{69}{2}$

XVI, 11, 7: finxit .... tribunos ad sollicitandos milites *quos duxerat* .... venisse

XVII, 1, 13: reges venerunt .... iurantes .... foedera ad praestitutum usque diem, *quia id nostris placuerat,* cum munimento servaturos; 12, 14 I $\frac{136}{29}$

XVIII, 2, 7: renitebatur firmissime Caesar adserens pacatorum terras non debere calcari ne, *ut saepe contigit,* .... abrupte foedera frangerentur. Alii loci sunt:

XX, 5, 10 I $\frac{208}{9}$; XXI, 5, 11 I $\frac{238}{26}$; 14, 2 I $\frac{257}{15}$; XXII, 7, 8 I $\frac{274}{5}$; 13, 2 I $\frac{293}{17}$; XXIII, 3, 5 I $\frac{311}{19}$; XXV, 3, 9 II $\frac{36}{15}$; 7, 10 II $\frac{50}{30}$; XXVI, 4, 6 II $\frac{71}{8}$; 6, 13 II $\frac{77}{10}$; XXVII, 3, 4 II $\frac{98}{21}$; XXVIII, 1, 35 II $\frac{132}{29}$; 6, 21 II $\frac{158}{25}$; XXXI, 4, 2 II $\frac{239}{29}$; 4, 4 II $\frac{240}{13}$.

Qui loci dubii omnes in iis, quos hincinde tractabo, omittentur.

Eorum igitur, quos Ammianus adhibet in o. obliquae sententiis secundariis, modorum alter est

I. indicativus.

Quamquam dubium non est quin ad hunc modum usurpandum multum valuerit Graecorum, quippe cum ipse esset Graecus scriptor, consuetudo pro optativo et coniunctivo indicativi ponendi vel prorsus deserendi obliquam formam, id quod saepissime facillimeque fit, tamen negari non potest hunc usum eo, quo Ammianus fuit, tempore in Latino quoque sermone creberrimum fuisse.

Illud enim, quod Draeger demonstrat l. c., indicativo passim o. obliquae sententias secundarias structas esse in iis, quae Justinus excerpsit e Pompei Trogi historiis (de Taciti huius modi usu v. Draeger,[1]) § 151) testimonio est, hunc usum iam ante Ammianum magis atque magis in linguam Latinam inrepsisse. Neque erat Am-

[1]) A. Dräger, Über Syntax und Stil des Tacitus, 3. Aufl., Leipzig 1882.

miani tempore sermonis plebei solius: nam cum hi libri maxime Romae probarentur et laudarentur (Lib. ep. 983: *ἀκούω δὲ τὴν Ῥώμην αὐτὴν στεφανοῦν σα τὸν πόνον*), apparet Romanos non offensos esse eius dicendi genere (Hassenstein p. 37).

Ann. Memoratu dignissimum videtur quod in Gallica quoque lingua usitatissimus est in o. o. modus indicativus.

Videamus nunc

primum certasne leges Ammianus servaverit in hoc modo usurpando, id quod negat Hassenstein, cum dicit l. c.: „A. eiusmodi locis iam sine discrimine modo indicativo, modo coniunctivo utitur“

deinde quae sint leges, si quas servasse visus erit,

tum eaedemne sint leges, quibus priores scriptores in hac re ductos esse grammatici docent.

Extat igitur indicativus:

1. in propriis scriptoris adnotationibus et interpretationibus ut apud omnes scriptores, velut:

XIV, 9, 5: Epigonus .... turpi confessione cogitatorum socium, *quae nulla erant,* fuisse firmavit

XVI, 10, 15: Traiani equum ...., *qui ipsum principem vehit,* imitari se velle dicebat; ceteri loci sunt:

XVII, 4, 12 I $\frac{119}{4}$; XVIII, 5, 7 I $\frac{156}{21}$; 6, 16 I $\frac{160}{8}$; XIX, 3, 1 I $\frac{174}{26}$; 11, 1 I $\frac{188}{22}$; 12, 10 I $\frac{194}{1}$; XXI, 7, 1 I $\frac{241}{14,18}$; XXII, 13, 2 I $\frac{293}{17}$; XXIV, 4, 21 II $\frac{16}{29}$; 4, 29 II $\frac{18}{23}$; XXV, 6, 1 II $\frac{46}{26}$; 7, 1 II $\frac{49}{13,15}$; 8, 9 II $\frac{53}{19,21}$; XXVIII, 4, 30 II $\frac{150}{17}$; XXIX, 1, 7 II $\frac{162}{33}$; XXX, 2, 3 II $\frac{205}{20}$; XXXI, 12, 3 II $\frac{261}{34}$.

Singularis est, quod scriptoris persona eadem est in numero eorum; de quibus agitur, locus

XXIV, 8, 2: cum reverti debere per loca, *qua venimus,* plebs vociferaretur ...

2. in eis enuntiatis, quibus quae revera acciderunt narrantur (v. Ramshorni, praeceptum c); permulta huius generis exempla occurrunt et quidem *inducuntur*

a) *pronomine relativo,* ut

XV, 5, 6: Mallobaudem orabat properare permitti, haec *quae ipse pollicitus est* impleturum; 5, 6 I $\frac{54}{15}$

XV, 6, 2: id eum cogitasse *quod iniit* non cupiditate sed necessitate conpulsum

XV, 12, 4: ait defendens Fonteium Tullius „Gallos post haec dilutius esse poturos *quod illi venenum esse arbitrabantur*

Orationis pro Fonteio habitae singulae tantum adhuc partes extant, in quibus hic locus non invenitur; itaque latet primitiva eius forma. Sed confusae esse recta et obliqua oratio videntur.

XVII, 13, 11 I $\frac{140}{15}$: mussantes... fortunae non meriti fuisse quod *evenit*

XIX, 11, 1: Constantium... permovebant nuntii... indicantes... Limigantes Sarmatas... paulatim posthabitis locis, *quae eis anno praeterito utiliter sunt destinata,*... regiones confines limitibus occupasse

XX, 2, 3: si documenta suscepissent perspicue demonstrantia Sabiniani pertinaci ignavia haec accidisse *quae contigerunt*

XX, 4, 4: ut illi nullas paterentur molestias, *qui... sub hoc venerant pacto,* ne ducerentur...

XXI, 14, 3: ferunt... theologi in lucem editis hominibus... numina sociari, admodum tamen paucissimis visa, *quos multiplices auxere virtutes.*

XXII, 1, 2: exclamavit... cecidisse *qui eum ad culmen ex«tulerat celsum»*; [XXII, 7, 8 I $\frac{274}{5}$;]

XXII, 14, 4: responsum est praesidalem esse Theodotum Hierapolitanum, «qui»... Constantium... orabat... ut Juliani ad eos mitteret caput... specie illa, *qua Magnenti circumlatum meminerat membrum.*

XXV, 5, 8: docet Saporem... extincto *quem verebatur*... ad umbram imperii Jovianum... adscitum sc. esse

XXV, 7, 6: fingentes... reliquias exercitus redire sinere... regem, *quae iubet* «si» (G, om. V P ba) impleverit... Caesar.

XXV, 9, 3: Sabinus... replicabat Constantium... nihil... ad diem perdidisse supremum et Jovianum inter exordia principatus provinciarum muro cessisse, *cuius obices iam inde a vetustate innoxiae permanserunt*

XXVI, 10, 12: effrenatius exultavit, sententiae illius Tullianae ignarus, docentis infelices esse eos *qui omnia sibi licere existimarunt* (= Aor. gnom., qu. d.)

XXVII, 10, 10: avolavit... praedicans... inveniri posse aliam viam ducentem ad arduos clivos praeter eam, *quam inspexere proculcatores.*

XXVIII, 1, 10: docuit principem, non... scrutari posse vel vindicari, *quae Romae perpetravere conplures*

XXVIII, 2, 7: supplicabant, ne Romani..., *quorum fortunam sempiterna fides caelo contiguam fecit,*... deciperentur

XXVIII, 6, 19: relaturum se cuncta verissime, *quae viderat,* minabatur

XXIX, 1, 9: addebat... omnia *quae praedixit,* se indicante Theodorum per Euserium, didicisse.

XXIX, 1, 34: ostendit se cognita per Euserium, ne ad imperatorem referret... ab eo prohibitum adserente... ratione quadam indeclinabilis fati id, *quod sperabatur,* ultro venturum. [XXIX, 4, 4 II $\frac{181}{7}$.]

XXIX, 5, 2: rumores distulerunt... ea..., *quae contra Firmus salutis tuendae gratia docebat* crebro per suos, accepta diutius occultari

XXIX, 5, 8: veniam... missis oratoribus poscebat et scriptis, docentibus eum non sponte sua ad id erupisse, *quod norat* scelestum

XXIX, 5, 23: hoc ut dirum vituperant... Dardanos hostes memorantes internecivos, et iuste, *quae sustinuere,* perpessos

XXIX, 5, 48: si discriminibus eximi vellent, *quae perferebant*

XXX, 5, 9: respondit... quaerente curatius principe si hi, *qui misere,* ex animo bene sentiunt de praefecto [1])

XXX, 6, 2: adserverantes... per extimos quosdam latrones... evenisse, *quae inciviliter gesta sunt*

XXXI, 5, 7: exclamavit, graviore pugnandum exitio, ni ipse ad leniendum vulgus sineretur, exire cum sociis, *quod* arbitratum... ductores suos occisos, *in tumultum exarsit.*

XXXI, 12, 8: obtulit scripta petentis... ut sibi suisque, *quos extorres patriis laribus rapidi ferarum gentium exegere discursus,* habitanda Thracia sola cum pecore omni concederentur et frugibus.

---

[1]) Optime respondet huic structurae Gallica dicendi ratio: *s'ils pensaient bien du préfet qui les ont envoyés.* — Multis aliis locis quantopere recentiorum q. v linguarum consuetudines Ammiani dicendi generi congruant non cognosci nequit.

Eiusmodi sententiae inducuntur

b) *particula „ut“*

XVI, 12, 14: motum militis... ferri non posse aiebat, extortam sibi victoriam, *ut putavit,*[1]) non sine ultimorum conatu graviter toleraturi.

XXIV, 6, 5: naves... conflagrassent, ni... imperator signum sibi datum nostros, quod margines iam tenerent, *ut mandatum est,* erexisse proclamans, classem omnem properare.... adegisset.

Erat enim revera mandatum, ut signum ignibus erigeretur, sed illi ignes non eius rei signum erant, cuius mandatum erat.

XXV, 9, 2: se solos sufficere... adfirmantes... satis confisi ad futuram iustitiam pro genitali sede dimicaturis, *ut experti sunt saepe*

XXVII, 12, 15: misere legatos petentes nationem eandem, *ut sibi «et» (et G om. V A) Joviano placuerat,* non defendi.

XXIX, 1, 34: ostendit se cognita per Euserium, ne ad imperatorem referret, *ut conatus est aliquotiens,* ab eo prohibitum...

Aliae quae huc pertinent sententiae adnectuntur

c) *causali particula quod:*

XVII, 1, 14: credi... obtrectatoribus potuit, ideo fortiter eum ubique fecisse fingentibus, *quod oppetere dimicando gloriose magis optabat* quam damnatorum sorte... occidi

XXIII, 5, 13: ideo... hoc nimis cavendum (sc. esse), *quod militem celsi nominis cum bellatoriis iumentis extinxit* (sc. fulmen)

XXIV, 7, 1: itum est in voluntatem quorundam, facinus audax... esse noscentium id adgredi, *quod et civitas situ ipso.... defendebatur et... protinus rex adfore credebatur.*

Coniungi etiam sic verba possunt: „itum est in voluntatem..., quod — defendebatur;“ sed hoc est neque necessarium neque verisimile.

XXVII, 12, 16: oravit... causatus ideo se nec cedere nec ad partes posse transire Romanas, *quod Ultra eius filius... tenebatur adhuc apud Persas.*

XXVIII, 6, 23: obicientium ideo Tripolitanos non potuisse defendi, *quod ipsi... praebere necessaria detrectarunt.*

---

[1]) Haupt, opp. II, p. 492: ut putabit; v. p. 43 annot.

Uno loco excepto ubique *„quod“* coniunctio causalis spectat ad demonstrativum adverbium *„ideo“* antecedens; quo fit, ut narratio magis definiatur id quod idem optime significatur indicativi res ipsas exprimentis usu.

Ann. Memorabile videtur in omnibus his 5 exemplis sententiae causali antecedere vel participium vel infinitivus praesentis vel gerundium. Maxime autem illam Graecorum consuetudinem post prima tempora coniunctivi, post secunda optativi ponendi ab Ammiano in Latino quoque sermone mutatis mutandis servatam esse intellegitur ex his duobus locis: XV, 3, 6: *maerebant*..., quod apud Atlanteos nati non *essent;* XXVIII, 4, 18: *queruntur* quod non *sunt* apud Cimmerios nati.

Indicativus porro invenitur in iis sententiis secundariis, quae incipiunt

d) *a particulis temporalibus*

XVI, 10, 3: (visere gestiebat)... ignorans fortasse quosdam veterum principum in pace quidem lictoribus fuisse contentos, *ubi vero proeliorum ardor nihil perpeti poterat segne,* alium... se commisisse

XXV, 9, 11: docent... icta cum dedecore foedera, *postquam partes verbis iuravere conceptis,*... dissoluta.

Coniunctionem vero „dum = während“ quod etiam in o. o. hic scriptor cum indicativo coniungit, veterem illum usum sequitur, de quo dicit Kühner p. 910, 3: „In der Dichtersprache und seit Livius auch in der Prosa wird auch in der obliquen Rede oft der Indikativ bei dum beibehalten.“ V. Krüger p. 890, Kühnast p. 235, Madwig § 369, A. 3, alios. Minime igitur offendimur eo quod Hassenstein p. 37 e Graeco more factum esse dicit: in enuntiatis minoribus o. obliquae indicativum Ammianum ponere pro coniunctivo. Eorum quos affert locorum huc pertinet:

XV, 5, 17: perfertur.... nuntius, aperte Silvanum demonstrans, *dum ex magisterio peditum altius nititur*... ad augustum culmen evectum...

ceteri loci sunt:

XXIV, 4, 22: consulto... invaduntur utrimque frontes, ut, *dum propulsaturi pericula defensores ... discurrunt,* nec ... audiretur ferri tinnitus nec...

XXXI, 13, 14: dicunt Valentem..., *dum fovetur* manibus imperitis... dedecore captivitatis exemptum.

Imperfecti indicativus cum particula „*dum* = so lange als“ coniunctus (Krüger p. 858) legitur:

XXVIII, 1, 34: Victorinum .. defunctum insimulabat, ut Maximini actus, *dum supererat,* venditantem

Denique

e) „*si*“ *particula condicionali,* semel in o. o. coniuncta cum indicativo, res praeterita exprimitur:

XIV, 11, 11: (Scudilo) eum ... proficisci pellexit ... replicando quod flagrantibus votis eum videre frater cuperet patruelis, *siquid per inprudentiam gestum est* remissurus.

Quamquam deliquisse Gallum multas res — hoc enim indicativo significatur — quarum ei opus erat venia imperatoris, haud ignorabat Scudilo, tamen, id quod pronomine „*siquid*“ efficitur, in dubium Galli culpam vocat levem ab imperatore haberi fingit tecteque significat.

Non solum ad ea quae *gesta* sunt definite exprimenda indicativus in o. o. ab A. retinetur sed etiam

3. in iis enuntiatis, in quibus revera esse aut certe fore aliquid exponitur, et hoc quoque in sententiis, quae incipiunt

a) *pronomine vel adverbio relativo:*

XVI, 10, 17: in fama querebatur .. quod .. erga haec explicanda *quae Romae sunt* obsolescit

XVIII, 7, 10: orditur flecti iter suadens in dexterum latus, ut .... Barzalo et Claudias peterentur .... *ubi tenuis fluvius prope originem .... facile penetrari poterit*

XX, 4, 12: animabat ..., ut ad Augustum .... pergerent, *ubi potestas est ample patens et larga*

XXVI, 5, 12: legationes urbium accessere .. precantes ne .... inpropugnatas eas relinqueret, *quas praesens eripere poterit discriminibus maximis*

XXIX, 1, 6: exclamabat ... levia esse haec, *de quibus agitur* ...: alia se ... monstraturum ... *quae ingenti molimine iam praestructa ... universa confundent*

XXIX, 1, 22: nullam esse crudeliorem sententiam ea, *quae est,* cum parcere videtur, *asperior.* XXXI, 4, 2 II $\frac{239}{29}$.

b) *a causali particula quod:*

XVI, 2, 4: cum subsererent quidam Silvanum ... per conpendiosas vias, verum suspectas *quia tenebris multis umbrantur*, ... transisse

XVI, 10, 17: in fama querebatur ut invalida vel maligna *quod* ... erga haec explicanda quae Romae sunt *obsolescit*

c) *a particula condicionali „si“*

XX, 9, 4: eum, *si saluti suae proximorumque consulit* .... intra Caesaris se potestatem continere praecipiens.

Consentaneum est Constantium non dubitasse, quin saluti suae Julianus consuleret, ut hic quoque indicativo modo certa res significetur (cf. Dederichs l. c. p. 7).

Aliud deinde genus sententiarum secundariarum hic numerandum est, in quibus rarissime tantum exploratum est, utrum scriptor perfecti coniunctivum an futuri exacti indicativum cogitaverit.

In quibus equidem cum nusquam accurate probatum invenissem, Ammianum pro rectae orationis futuro exacto in o. o. coniunctivum perfecti posuisse, contra omnibus locis perspectis satis cognovissem eum in praeteritis tantum rebus enarrandis perfecti coniunctivo usum esse neque id quidem nisi, uno loco (XVII, 3, 4) excepto, antecedente praesenti tempore[1]: omnibus locis, quibus vis futuri exacti cernitur, Ammianum hoc tempus scripsisse intellegendum putabam, id quod in praecipuo modi indicativi usu facile credi potest.

De his locis cum omnibus sententiae condicionales et temporales efferantur, generatim dici potest Ammianum, ut in Graeca scribendi ratione pro optativo in talibus orationis obl. sententiis saepe coniunctivus cum particula ἄν coniunctus retinetur, in definito suo dicendi genere huic modo saepe indicativum, quo res ipsae simplicius proferuntur, anteposuisse.

Indicativo igitur sententia structa est:

a) *cum affertur protasis enuntiati condicionalis:*

XVI, 7, 2: Eutherius ... mittitur statim post eum *siquid finxerit* convicturus

XVI, 12, 60: flagitium arbitrati post regem vivere vel pro rege non mori, *si ita tulerit casus,* tradidere «se» vinciendos

XVII, 1, 13: venerunt ... iurantes ... foedera ... cum munimento servaturos intacto frugesque portaturos humeris, *si defuisse sibi docuerint defensores* (= si deesse sibi docuissent d., cf. XXVII, 2, 9).

XIX, 9, 5: accepta fide quod, *si tuto licuerit,* sequetur coniugem libens, evasit ...

[1]) V. infra p. 73 sq.

XIX, 11, 6: exorabant in veniam obsecrantes ut .... ad eum venire permitterentur .... parati ...., *si id placuerit,* terras suscipere longe discretas

XXI, 5, 10: iuravere .... omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, *si id necessitas exegerit,* perlaturos;

XXII, 11, 11: scelus detestabatur .... minatus extrema, *si deinde temptatum fuerit aliquid* quod iustitia vetet ....

XXIII, 2, 1: legationes .... remittebantur, ... principe respondente nequaquam decere adventiciis adiumentis rem vindicari Romanam, cuius opibus foveri conveniret amicos ...., *si auxilium eos adegerit necessitas inplorare*

XXIII, 3, 2: dicitur .... paludamentum .... tradidisse Procopio mandasseque arripere .... principatum *si se interisse didicerit apud Parthos.*

XXIV, 4, 21: nuntiatur imperatori .... legionarios milites .... ima penetrasse fundamentorum, iam, *si ipse disposuerit,* evasuros

XXV, 7, 6: condiciones .. ferebant .., fingentes .. reliquias exercitus redire sinere .. regem, quae iubet «*si*» (si G om. V P ba) *impleverit cum primatibus Caesar.*

XXIII, 4, 30: clamitant saepe, rempublicam stare non posse, *si futura concertatione,* quem quisque vindicat, *carceribus non exiluerit princeps, et .... circumflexerit metam.*

XXIX, 1, 6: exclamabat ....: alia se, *si licuerit dicere* monstraturum .... quae ...., *nisi prospectum fuerit,* universa confundent.

XXIX, 5, 32: pro negotio consultabat .... hostem ...., *si fors copiam dederit,* oppressurus

XXIX, 5, 51: nihil .... spei sibi restare, *si obstinatius egerit,* arbitratus .... prorupit

XXX, 1, 17: incessebant .... Param .... fingentes: addentesque quod .... tristes sollicitudines, «*si*» (*si G om. V A) huic inrisioni superfuerit,* excitabit

b) *cum temporalis coniunctio antecedit:*

XVI, 7, 3: (Caesarem) .... apparitorem .... fidum auctori suo *quoad vixerit* fore .... spondebat

Offendimur futuro exacto „vixerit" posito pro simplici futuro ut est XXI, 16, 15: *„quoad stare poterunt";* sed expresse indicans Eutherius sic inducitur, Julianum usque in vel post mortem fidem servaturum esse.

XVII, 1, 8: stetit diu cunctando .... doctus .... latere plurimos, *ubi habile visum fuerit,* erupturos

XXI, 5, 10: iuravere .... omnes pro eo casus, *quoad vitam profuderint* .... perlaturos (cf. supra XVI, 7, 3);

XXIV, 2, 1: hactenus responderunt, *quod cum interiora occupaverint* .... Romani, se quoque .... victoribus accessuros

XXVI, 6, 10: arbitratus ...., *ubi felicius acciderit fatum,* negotio levi ad apicem summae potestatis adsumi, subsidebat ut praedatrix bestia.

Ann. Adiciendum videtur me, quae sententiae o. obliquae tribuendae quaeque scriptoris adnotationes habendae sint, diiudicantem ductum esse partim pronominum partim temporum usu (est enim in propriis scriptoris adnotationibus crebrior plusquamperfecti quam perfecti usurpatio) deinde idque saepissime ratione nexus interioris habita.

Praeter tres illas causas, quas in paginis 59 et 64 enumeravi exemplisque illustravi, in o. obliquae sententiis secundariis indicativus legitur,

4. cum transitur ex obliqua in rectam orationem et quidem

a) **scriptoris** orationem continuantis

α) *causali* adiunctione, sive praemissa particula „enim“, ut XXV, 2, 6 II $\frac{34}{15}$; 10, 7 II $\frac{60}{1}$; XXXI, 13, 14. 15 II $\frac{268}{3}$, vel omissa ut XVII, 7, 12 I $\frac{127}{12}$.

Maxime mirus videtur transitus, cum sententia particula „enim“ adnexa artissime cohaereat cum antecedentibus verbis totaque sit e cogitatione loquentis,

XIX, 12, 12: sacrificasse .... confutatus infitiari non potuit, adserens propitiandi causa numinis haec a prima adulescentia factitasse non temptandi sublimiora scrutatis; *nec enim quemquam id noverat adfectare:*

β) *copulativa adiunctione:*

XXII, 15, 7 I $\frac{297}{23}$; XXIV, 3, 13 II $\frac{12}{12}$; XXIV, 8, 2 II $\frac{27}{24}$;

γ) *relativa adiunctione:*

XX, 11, 29 I $\frac{228}{9}$; XXII, 13, 3 I $\frac{293}{25}$; (XXII, 3, 8 I $\frac{268}{22}$); XXIII, 6, 24 I $\frac{326}{6}$; XXV, 7, 6 II $\frac{50}{9}$; XXV, 9, 3 II $\frac{56}{14}$; XXIX, 1, 22 II $\frac{166}{2}$.

Transit oratio ex obliqua forma in rectam personae

b) **eius qui dicit.**

XIX, 11, 7 I $\frac{190}{13}$; XXII 14, 4 I $\frac{295}{10}$; XXV, 4, 3 II $\frac{40}{4}$; XXV, 10, 7 II $\frac{59}{25}$; XXX, 8, 8 II $\frac{225}{6}$; XXXI, 11, 2 II $\frac{260}{8}$.

Coniunctio et confusio quaedam duorum dicendi generum, rectae et obliquae orationis, cernitur:

XXX, 2, 4: (Victorem et Urbicium) ire propere iussit in Persas, responsum... perferentes: quod rex... sceleste concupiscat Armeniam...: *sed ni Sauromaci praesidia militum inpertita principio sequentis anni, ut dispositum est, inpraepedita reverterint, invitus ea conplebit, quae sponte sua facere supersedit.*

Neque enim est o. obliqua propter indicativorum usum praesertim in primaria sententia, neque penitus o. recta propter tertiae personae usurpationem, cuius loco altera esse deberet, si esset o. r. Videtur enim hic quoque Ammianus suam cum eorum qui dicunt personis confudisse. Quod cum multis aliis locis factum esse tum iis potissimum cognoscitur, quibus ad interpretandas res in sententiis secundariis multis, cum generalis sit earum sensus, indicativum adhibet.

Huius modi loci sunt:

XVII, 7 12 I $\frac{127}{10}$; XXII, 15 5 I $\frac{297}{8}$; 15, 8 I $\frac{297}{30}$; XXIII, 5, 14 I $\frac{318}{23}$.

Ann. Uno loco non audeo disceptare, utrum scriptoris sit continuatae orationis pars posterior an eius qui dicit, quamquam arte coniuncta est cum priore parte; hic est:

XVIII, 5, 7: replicabat,... Persas nondum Edessam nec pontes Euphratis tetigisse victores, *quos... ita dilatasse decuerat rem et maxime eo tempore, quo diuturnis bellorum civilium motibus sanguis utrimque Romani roboris fundebatur.*

Respicientes ea, quae adhuc de indicativi modi in o. o. usu exposita sunt concludimus *primum* Ammianum plerumque in iisdem causis quibus priores scriptores usum esse indicativo ita tamen, ut hanc licentiam amplius dilataret multoque crebrius in usum suum converteret, *deinde* eum Graecorum et illam facilitatem transeundi[1])

[1]) De hoc priorum scriptorum usu v. Kühner p. 1038, A. 5.

ex o. obliqua in rectam sive scriptoris sive loquentis saepe imitatum esse et libertatem modorum variantium e Graeco sermone in Latinum transtulisse iis potissimum locis, quibus non res gestae narrantur, sed diversae quae extabant de alqua re sententiae explicantur. Qua re ad eam structuram inductus sit, non latet. Cum enim aliorum sententias iudicaret et cum sua conferret, facile evenit, ut modos in illis suaque ipsius proferendis misceret.

Ut a ceteris omnibus scriptoribus fere semper ab Ammiano quamquam rarius in o. o. usurpatus est

II. coniunctivus.

Hoc modo structae sunt omnes, quae nondum tractatae sunt, enuntiationes secundariae.

Quaeramus nunc quam in his sentent. consecutionem temporum, quae sola iam spectanda est, scriptor tenuerit.

Disseruit de hac re universa nonnulla tantum eademque non satis accurate Hassenstein l. c. pag. 52 sq. Contendit in sententia minore coniunctivum continente Ammianum rectae et accuratae temporum consecutionis nullam habere rationem, cum saepius utatur

1. praesenti tempore pro imperfecto
2. perfecto pro plusquamperfecto
3. uno loco imperfecto pro praesenti[1])
4. saepissime perfecto pro plusquamperfecto, ut vis efficiatur futuri exacti.

At quamquam omittere se multas interrogationes indirectas profitetur, tamen ad explicandam et probandam primam illam observationem complures adhibet; tales enim sunt in 22 locis ad 1 ab eo allatis: XVIII, 8, 5; XXVII, 12, 8; XXIX, 2, 19; XIV, 6, 13; 7, 18; 10, 4; XVIII, 5, 1 (XIV, 6, 4; 7, 5 equidem non inveni) XXI, 5, 13; XXII, 4, 10; XXV, 8, 12 (locus XXX, 2, 4 bis citatus est); residui sunt igitur 10, e quibus 7 infra tractabo; tres reliquos, cum non sint huius o. o., iam hic liceat interpretando absolvere:

XXVII, 11, 5: suspiciosus... fuit... blandiensque interdum, *ut noceat*

---

[1]) Imperfectum coniunctivi saepe futuri coniunctivi locum obtinere, ut evitetur coniugatio periphrastica q. d. et activa et passiva coniunctivi futuri Ehrismann pag. 29 ostendit.

XXIX, 2, 8: per... eum... quid in primis orationis partibus conlocaret, *ut* proficere *possit*... praemonebat

XXIV, 7, 5: duodecim... naves potuerunt intactae servari, quae *ut possint* custodiri discretae sunt.

Cum in omnibus insit sententia finalis, e cogitatione agentis, ut in multis aliis exempliis, eos structos manifestum est (cf. Caes. b. G. I, 14, 7; V, 36, 41; b. c. I, 67, 2). Penitus autem totam rem Ehrismannus perspexit. Omnes huius generis Ammiani locos (l. c. pag. 18 sqq.) collegit, collectos disposuit factaque collatione recte conclusit hunc scriptorem miro quodam repraesentationis genere usum in enuntiatis consecutivis et finalibus in usurpando verbo *posse* eam „certam et absurdam“ rationem secutum esse, qua in his enuntiatis et quidem affirmativis *possit* s. *possint* per *posset* s. *possent,* in negativis fere semper imperfectum recte posuisset.

Alterum deinde quod Hassensteinus dicit, perfecti coniunctivum pro plusquamperfecti cuniunctivo positum esse, num omnibus quos attulit locis firmetur inspiciamus! In 18 enim eius exemplis item insunt 8 interrogationes indirectae, quas ipse dicit etiam ab optimis auctoribus ex eius, qui loquatur, plerumque igitur scriptoris sensu construi i. e. coniunctivi praesentis sive perfecti (E. Schweikert, Zeitschrift für Gymn. 1876, 1) ideoque se omissurum profitetur (XXVIII, 6, 16; 6, 27; XXX, 11, 6; XV, 5, 14; XVI, 5, 13; XX, 8, 3; XXIV, 1, 11; XXV, 8, 13); duo loci XXIX, 5, 51 (non XXIV, 5, 51); XXI, 5, 10 mihi quidem indicativo futuri exacti videntur structi non minus quam quos infra enumerabo. Nam saepissime apud Amm. indicativus praesertim futuri s. futuri exacti extat in o. o. De loco XXIX, 2, 9 (non XXIV, 2, 9), ubi „parata sint“ praesens tempus intellegi oportet v. supra pag. 48. E reliquis 7 enuntiatis quae a partic. quod incipiunt, iam supra prolata sunt pag. 47 sqq., sub b: XXI, 13, 7; 14, 2; XXII, 2, 1; 4, 6, secundaria XVI, 5, 12; XVII, 3, 4; XIX, 9, 4 infra tractabuntur.

Tertium illud quod monet de imperfecto pro praesenti tempore semel XXVIII, 4, 13 adhibito, quod non est o. obliquae, hic praetereo. Sed multa alia exempla afferri possunt, e quibus quae huc pertinent infra citabo.

Quod autem coniunctivum perfecti pro plusquamperfecti Ammianum usum esse explicat, ut vim coniunctivi futuri exacti efficeret antecedente tempore praeterito, in iis certe, quae ipse profert,

exemplis, errare videtur. Omissis enim illis, quae o. o. a me circumscriptae non sunt, locis (XIV. 3, 1; XIX. 11, 6; XXV. 9, 5) hos repetam:

XVII, 1, 4: navigiis imposuit milites, ea re, ut... quidquid invenire *potuerint,* ferro violarent et flammis

XVII, 1, 8: doctus... latere plurimos, ubi habile visum *fuerit,* erupturos

XVII, 1, 13: reges venerunt iurantes (se).... fruges portaturos humeris, si defuisse sibi *docuerint* defensores

XIX, 9, 5: accepta fide, quod si tuto *licuerit,* sequetur coniugem libens, evasit

XXIII, 2, 1: remittebantur... principe respondente, nequaquam decere... rem vindicari Romanam, cuius opibus foveri conveniret amicos et socios, si auxilium eos *adegerit* necessitas implorare

XXIX, 1, 6: exclamabat Palladius... levia esse haec, de quibus agitur...: alia se, si *licuerit* dicere, monstraturum metuenda et potiora, quae..., nisi prospectum *fuerit,* universa confundent. (Ne unus quidem coniunctivus cum hoc loco sit, causa non est cur *licuerit, fuerit* coniunctivi habeantur.)

Quid impedit, quominus omnes hi „coniunctivi“ intelligantur futuri exacti indicativi? Atque hoc recte putari ex eo concludimus, quod *primum* Ammiani usurpationem indicativi in o. o. latissime patere constat, *deinde* et in omnibus his, quae modo protuli exemplis et in iis, quae infra addam, protasin dubia illa verbi forma structam ea apodosis sequitur, in qua pressa inest vis futuri temporis, sive ipsa legitur futuri verbi forma, sive ex sententiarum nexu perspicue cognoscitur. Reliqui loci huc pertinentes, quos, postquam ipse repperi, eosdem in Ehrismanni libello (pag. 21 sq.) inveni, sunt:

XIV, 7, 9: mandabat Domitiano... ut cum in Syriam *venerit*... hortaretur

XXI, 5, 10: iuravere... omnes pro eo casus, quoad vitam *profuderint,* si id necessitas *exegerit,* perlaturos

XXIII, 3, 2: dicitur... Procopio mandasse arripere... principatum, si se interisse *didicerit*

XXIV, 2, 1: responderunt, quod cum interiora *occupaverint* protinus gradientes Romani, se quoque... victoribus accessuros

XXIV, 4, 21: nuntiatur imperatori ... milites ... ima penetrasse fundamentorum, iam, si ipse *disposuerit,* evasuros

Ad hos accedit

XXIX, 5, 51: nihil ... spei sibi restare, si obstinatius *egerit,* arbitratus, ... prorupit ex acie

Omnis dubitatio tollatur locis

XXX, 1, 17: addentesque quod ... tristes sollicitudines, «si» huic inrisioni *superfuerit,* excitabit

XXX, 2, 4: (ire) iussit in Persas, responsum ... perferentes ... ni Sauromaci praesidia ... inpraepedita *reverterint* ... invitus conplebit.[1])

Aliter se habent ii loci, quibus perfecti coniunctivus qui putatur ad res praeteritas spectat. Omnes has sententias aptas esse ex temporibus praeteritis memoratu dignum est. Praesto mihi sunt, hi:

XVI, 12, 60: flagitium arbitrati ... pro rege non mori, si ita *tulerit* casus, tradidere se

XVII, 3, 4: praefecto praetorio ferri non posse clamante, se repente factum infidum, cui Augustus summam *commiserit* rerum, Julianus eum ... docuit

XIX, 9, 4: familiarem suum ... dimisit ... exorans, ut auditis quae *contigerint,* veniret

XXVIII, 2, 9: abiit ad lares, id conmeruisse saevo iudicatus arbitrio, quod *evaserit* solus.

In quattuor his exemplis manifestum est verba „tulerit, commiserit, contigerint, evaserit" coniunctivi perfecta esse posita pro plusquamperfectis.

Qua distinctione et explanatione corrigi et refutari velim quae Ehrismann l. c. coniecit, cum diceret: „Suspicio nascitur Ammianum consulto perfecti coniunctivum posuisse. Qui si plusquamperfecto usus esset, haud multum aberat quin sententia irrealem indueret sensum: quod ut evitaret, inepte perfecti coniunctivum omni temporum consecutione neglecta praetulit". Nam ex 15 illis exemplis 7 non sunt sententiae condicionales. (Ceterum conferantur cum his ea exempla, quae a Kruegero e Livio congesta sunt ad § 656 Bb pag. 897, quibus quamquam non prorsus huc quadrant, tamen

[1]) Alia exempla passim inveniuntur, ut XXII, 11, 11.

Ammiani hunc usum non nimis a sermone Latino alienam esse patet.) Ille autem indicativi futuri exacti usus manat e Graeca consuetudine facillime transeundi in o. directam.

Etiam Dederichsius pag. 6 sq., cum agit de sent. condicionalibus in o. o., pauca huc referenda exponit, quae omnia mihi probantur praeter id quod XXIX, 1, 6 unum exemplum esse dicit coniunctivi perfecti pro plusquamperfecti coniunctivo in sentent. condic. adhibiti. De quo iam supra disputatum est; id autem unum esse eius generis exemplum falso contendi ex iis, quae modo disserui, apparet.

Ehrismannus postremo quae de universa Ammiani temporum consecutione iudicat l. c. pag. 39: „A. in universum eam temporum convenientiam observat, quam aureae aetatis scriptorum auctoritas statuit et confirmavit; non raro tamen Graeci sermonis usum orationi immiscet, saepe vulgarem, interdum etiam proprias sibi leges constituit," etiam in o. o. valent. Ac ne loco 26. 4, 6 quidem coniunctivus imperfecti, quem foede irrepsisse pro praesenti reprehendit, habet quidquam offensionis („iniectabat... causando quod... nihil obstare debebit quo minus ea recuperaret").

Singillatim autem de tota re iam agetur. Cum grammatici[1]) doceant prima q. d. tempora ponenda esse, cum e praesenti verbi tempore tota oratio pendeat, secunda, cum verbi praeterito tempore oratio inducitur, in Ammiani usu perquirendo ab hoc utroque praecepto proficisci oportet.

Itaque primo loco agendum est de iis enuntiatis, quae pendent e praesenti tempore, et ea quidem habent

A. *meram temporum primorum consecutionem,* cum apta sunt

a) *ex tempore vere praesenti*

XX, 11, 29: *arbitrantur* alii tunc iridis formam... apparere... cum altius delatae nubi crassae radii solis infusi lucem *inieccerint* liquidam

XX, 11, 30: *legimus* saepe Irim de caelo mitti, cum praesentium rerum verti *necesse sit* status

XXVIII, 1, 15: existimo forsitan aliquos ... strepentes id actum esse prius, non illud, aut ea, quae *viderint,* praetermissa

---

1) Krüger § 654 sqq. Kühner § 180 sqq., ceteri.

XXX, 8, 6: Isocratis *memorat* pulchritudo ... ignosci debere interdum armis superato rectori, quasi iustum quid *sit* [1]) ignoranti

b) e praesenti q. v. historico:

XXI, 16, 14: Heraclitus ... monet ... illud vero eminere inter praecipuas laudes, cum potestas ... in arce victoris animi tropaeum *erexerit*

XXXI, 10, 3: *docet* ... Gratianum ... mox signa moturum, ut ... *repellantur* plagarum terminalium adcolae.

Enuntiata e praesenti tempore pendentia deinde habent

B. *meram praeteritorum temporum consecutionem,* et ea quoque apta sunt

a) *e tempore vere praesenti:*

XXXI, 13, 14: alii *dicunt* Valentem ... ab hostibus, qui *esset* ignorantibus, dedecore captivitatis exemptum

b) *e praesenti historico:* [2])

XV, 5, 20: ducem ... *prohibet* imperator, non id esse memorans tempus ut defensio causae *susciperetur,* cum vicissim restitui in pristinam concordiam partes necessitas *subigeret* urgentium rerum antequam *cresceret* mollienda. — Item

XVIII, 7, 10 (orditur: pergeret, peterentur)

XXI, 11, 1: (intimatur: adulescerent, hebetasset)

XXXI, 13, 8: (exclamat: tegeretur).

Dubia exempla sunt propter parem praesentis perfectique formam XIV, 11, 15; XXIX, 5, 19.

Quibus locis liceat separatim adiungere:

XXI, 1, 13: vanities aliquotiens plebeia *strepit* ... mussando, si *esset* praesentiendi notitia quaedam, cur ille ... ignoravit; hoc *„esset“* scriptum est propter sensum irrealem; nam in recta quoque oratione hac eadem forma totam sententiam (si esset — ignoravit), ut magis premeret sensum irrealem imperfecti coniunctivo, proferre scriptor potuit.

XXVIII, 4, 15: (legunt ...) cum multa ... lectitare deberent, audientes ... Socratem ... rogasse quendam scite lyrici carmen Stesichori modulantem, ut *doceretur* id agere, dum liceret ... respondisse ...

---

1) Eae quae orationi obliquae insertae sunt interrog. indirectae ab hac quaestione consecutionis temporum non seiungendae videbantur.

2) Dräger l. c. I pag. 232 sqq.

„deberent“ hoc loco = debeant, cum exprimere velit scriptor eos (sc. quosdam) debere lectitare, de suo enim ipsius tempore agit. Verborum: „doceretur — liceret“ tempora pentent ex infinitivo „rogasse“.

Ann. XXXI, 13, 14 (supra pag. 74, a) idem cernitur quod apud priores quoque scriptores haud raro fieri constat: *ut non ex verbo finito, e quo oratio pendet, tempora apta sint sed ex infinitivo vel coni. eius sententiae, cuius subiecti cogitationes vel verba explicantur,* cf. Caes. b. G. I, 42: mittit... sese idcirco ab suis discedere atque ad eum venire maluisse, quo facilius civitatem in officio *contineret;* I, 35; V, 3.

Altero loco tractandae sunt eae enuntiationes, quae ex praeterito tempore pendent. In iis invenitur

A. *mera primorum temporum consecutio.* Hanc temporum consecutionem repraesentatione quadam praeteritorum coniunctivi temporum effectam esse Ehrismannus l. c. pag. 16 sqq. demonstrat eamque, cum primum a Caesare potissimum in litteras Romanas introducta et a Livio, Tacito, raro a Sallustio adscita sit, in ipsius Ammiani oratione increbruisse, „quo alacrior et vivacior fiat oratio“. Non igitur mirum videtur Ammianum in confusione sua o. obliquae suaeque ipsius illam consecutionem in o. obliquam transtulisse. Ibi enim sunt haec eius rei exempla:

XIV, 11, 3: virum fortissimum *opprimebant*... mussitantes... Gallum... ad saeva facinora ideo animatum, ut eo... exoso ad magistri equitum liberos principatus insignia *transferantur*

XV, 5, 14: Aedesius... minus scisse quid *actum sit*... contendens abiit; item

XVI, 5, 12: (sit multatus — querentibus responderat)

XVII, 3, 4: (commiserit — praefecto clamante docuit) [1])

XXII, 11, 11: (detestabatur minatus [2]) — vetet)

XXVIII, 2, 9 (abiit iudicatus — evaserit)

XXIII, 1, 7: conatu desistere *suadebant,* ita demum haec et similia contemni oportere *firmantes,* cum inruentibus armis externis lex una *sit* et perpetua, salutem omni ratione defendere...

---

1) Quae exempla Ehrismann pag. 21 protulit: XVII, 3, 5; XVII, 10, 4, cum mixtam habent temporum consecutionem, infra tractabo.

2) „Minatus“ participium habet, ut alias saepissime, vim praesentis temporis.

Omnibus 7 his locis *tempus verbi sententiae secundariae non ex ipso verbo finito pendet, sed ex participio cum illo coniuncto.*

XXV, 4, 7: id praedicabat, turpe esse sapienti, cum *habeat* animum, captare laudes ex corpore.

Eas sententias, quae universalem sensum habent omnique tempore valentem, et alii scriptores (cf. Dräger I p. 241) et Ammianus in o. o. primis interdum temporibus struunt.

XVI, 11, 13: illud... *iactabatur* quod Julianus non levaturus incommoda Galliarum electus est, sed ut *possit* per bella deleri.

E perfecto *„electus est"*, cum sit perfectum praesens, verbum *„possit"* apparet aptum esse: *„Cum igitur in o. o. ex ea sententia, cuius verbum in indicativo positum est, alia sententia pendet, ex illo tempus nonnunquam adhibetur."*

XXV, 10, 3: sedit quorundam opinioni, hanc speciem tunc apparere, cum evecta solito celsius nubes... *conluceat,* vel certe stellas esse..., quarum ortus obitusque, quibus *sint* temporibus praestituti,... ignorari

„sedit opinioni" specie tantum perfectum, revera praesens est.

XVII, 13, 23: sedes alias suscipere *sunt adsensi*... ut nec bellis vexari nec mutari seditionibus *possint*

XXVII, 12, 7: *ordinarunt*... validam manum erumpere... *ut lateant* id temptantes, polliciti se provisuros

XXX, 2, 4: ducem ire... *iussit* in Persas responsum... perferentes: quod rex... sceleste *concupiscat* Armeniam... (cf. p. 68).

Ut alii scriptores Ammianus quoque e sensu loquentis, quasi hic ipse diceret, nonnunquam coniunctivum praesentis adhibet antecedente praeterito tempore. Cf. Caes. b. G. II, 3; VII, 20; VII, 29.

In sententiis e praeterito tempore pendentibus invenitur

B. *mera praeteritorum temporum consecutio* et ea quidem creberrime ab Ammiano ut a ceteris omnibus rerum scriptoribus servata est. Eiusmodi locos repperi 105, quos, quamquam in promptu habeo, cum vulgaris sit haec temporum consecutio, enumerare supersedeo.[1]) Cognoscimus autem ex hoc magno numero, comparatione habita cum iis locis, qui variantem tempp. consecutionem praebent, Ammianum neque ignorasse leges tempp. consecutionis neque nisi certa de causa sprevisse.

---

1) De XIX, 9, 5 I $^{186}_{11}$ et XXIV, 4, 29 II $^{18}_{25}$ v. etiam Ehrismann l. c. pagg. 34 et 29, item de XXV, 7, 10 (falso citatus est XXVII, 7, 10).

Tertio loco enumerabuntur ea enuntiata, quae mixtam primorum et secundorum temporum, cum pendent e praeterito tempore, consecutionem habent; quae sunt:

XVII, 3, 5: *rescripsit* gratandum esse si provincialis... sollemnia *praebeat,* nedum incrementa, quae nulla supplicia egenis *possent* hominibus extorquere.

Apertum est discrimen inter „*praebeat*“ et „*possent*“*:* significatur praesenti tempore sollemnia praeberi revera, incrementa dari posse prorsus negatur, ut „*possent*“ habeat vim irrealem.

XXVIII, 5, 48: *visus est* Firmus .... hortari, ut *dedant* Theodosium ...., si discriminibus eximi *vellent,* quae perferebant.

Hoc „*dedant*“ penitus e persona Firmi scriptum esse iam supra demonstravi. Atque multo accomodatius ad huius rei descriptionem tempus praesens est quam imperfectum. Cum enim verbis: „visus est Firmus, equo celsiori insidens, sago puniceo porrectius panso milites clamoribus magnis hortari“ scriptor nos faciat spectantes ipsum Firmum tamquam prodeuntem in scenam, etiam loquentem ipsum ut audiamus faciat scriptor oportet, id quod praesenti tempore efficitur usurpato.

XVII, 10, 4: (pacem) sub hac *meruit* lege, ut captivos *redderet* nostros et, quotiens *sit* necesse, militibus alimenta praeberet ....: quas si non *ostendisset* in tempore, *sciret* se rursus eadem fatigandum

XVIII, 2, 3: id .... *duxit* implendum, ut .... civitates multo ante excisas *introiret* receptasque *communiret,* horrea quin etiam *extrueret* pro incensis, ubi condi *possit* annona

XVIII, 6, 3: *placuit* .... ut .... *perrumperetur* Euphrates *ireturque* prorsus, ut occupari *possint* provinciae

XIX, 9, 4: familiarem suum .... *dimisit* mandatis arcanisque vitae secretioris maritum exorans ut auditis, quae *contigerint, veniret* secum beate victurus.

XXV, 8, 12: *iussum* est .... extollere seriem gestorum in melius et rumores quaqua *irent* verbis diffundere concinentibus .... omniumque sententiis occultius sciscitatis remeare velociter cum responsis, ut conperto quid in longinquis *agatur,* .... consilia *quaerantur.*

In omnibus his 5 exemplis Ammianus, ut Graeci praeteritum tempus antecedens haud raro pro optativo coniunctivum sequentem

faciunt, loco secundorum temporum e cogitatione loquentium sive agentium prima tempora adhibuit.

Praeterea XXV, 8, 12 facile fieri potuit ut scriptor, cum longe distent coniunctivi praesentis a verbo *„iussum est“* temporum rationem ex oculis amitteret.

Uno denique loco e praesenti historico mixta pendet primi et secundi temporis consecutio:

XXVIII, 1, 24: legati *mittuntur* .... oraturi, ne delictis supplicia *sint* grandiora, neve senator quisquam .... tormentis *exponeretur.*[1])

Variationis efficiendae caussa id fieri veri simillimum est.

Quamquam igitur Ammianus tempp. consecutionis leges haud nesciret ac plerumque observaret, tamen illam variantium temporum licentiam, quam etiam apud priores scriptores ut Caesarem legimus, amplificavit multoque crebrius sibi sumpsit.

[1]) Hoc loco falso indicat Ehrismann pag. 40 convenientiam praesentis observari.

